





DISSE<sup>34</sup>  
TATIO IN AVGVRALIS  
DE  
**JVRIBVS JV-  
DÆORVM,**

**Som Günden-Recht**

QVAM  
PRAE<sup>E</sup>S IDE  
**CASPARE ZIEGLERO,**  
ICTO ET ANTECESSORE IN HAC LEVCOREA  
CELEERRIMO, POTENTISSIMI ELECTORIS SAXONIAE CON-  
SILARIO SPLENDIDISSIMO, ET FACVLATATIS JVRIDICAE  
ORDINARIO ET SENIORE, ETC.


PRO LICENTIA  
DOCTORALIA PRIVILEGIA RITE CAPESSENDI  
PUBLICAE AC SOLENNI DIS<sup>U</sup>ISITIONI EXPO<sup>N</sup>IT  
**CHRISTIAN CASPAR Maschow,**  
ASCANIUS SAXO

AD DIE IV. APRIL. MD CLXXXIV.  
IN AUDITORIO MAIORI  
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

VITEMBERGAE,  
RECVSA LITTERIS HAKIANIS.  
ANNO 1742.

(10)







## C A P U T I.

*De Justitia Judæis administranda & secundum quæ jura Judæi regi debeat.*

**V**ocabulum Judæi Patronymicum fuit & postea Religio-  
nis factum §. 1. Describuntur Judæi moderni de quo-  
rum Juribus tractatur bac Disput. §. 2. Justitia illis non  
denegatur §. 3. neque aequitas §. 4. Juris Mosaici Lex Mo-  
ralis uti omnes homines ita Judæos ligat §. 5. Lex Cere-  
monialis in tantum Judæis a Christianis conceditur §. 6. Lex  
Forensis autem in rotum abrogata est, atque inde jure Ro-  
manorum Judæi vivere tenentur, §. 7.

### §. I.



Um post divisionem Regni Hæbræ-  
orum Judæis alii, alii Israelitis in  
specie ita diæti imperarent, tribu-  
um eo tempore magna fuit habita  
ratio, ut non nisi qui Judæ debue-  
rint originem, vocati fuerint Ju-  
dæi. A tempore autem captivita-  
tis Babylonicæ ingens extitit tribuum confusio, ita,  
ut successu temporis nomen Judæi ad discernendam  
Religionem Judaicam usurpatum fuerit, ac diæti sint

A

Judæi,

Judæi, qui DEum Religione in lege Mosaica præscripta colerent, etiamsi alienigenæ & a Gentibus nati fuerint, quod de Idumæis iterum ab Hircano devictis, & Judaismum amplexis refert Joseph. *Antiquit. Judaic.* libr. 13. cap. 17. Facit hoc, quod Judaismus non tam populi Judaici statum, quam Religionem designet. 2. *Macc.* 8. v. 1. & 1. *Gal.* 1. v. 12.

### §. II.

Discernuntur inde Judæi a reliquis Gentibus, quod sint, qui Vetus Testamentum, male intellectum, recipiunt, Novum autem non admittunt. *Pacius in Ifag. C. de Jud. & Cœlicol.* ut difficile non sit animadvertere, Modernos tantum, non eos, qui ante Christum vixerunt, hac Disputatione intelligi, quorum jura, non dogmata eoruinque sectas rimari, animus est.

### §. III.

Atque, ut eorum opinioni statim obviam eamus, qui nulla plane Justitia dignos arbitrantur Judæos, sciendum, quod illis non possit negari, quod Jus ex natura sui hominibus in universum concedit, cum enim cognitionem quandam inter homines natura constituit, l. 3. ff. *de Just. & Jur.* Jura, sine quibus societas humana contineri non potest, ab illa secernere non licet, *Francise. Connarus lib. 1. c. 1. n. 10.* Sed Justitia omnibus, sive sint Christiani, sive Judæi, est administranda. *Petr. Surdus Decis. 133. n. 3.* Licet enim persona Judæi sit odiosa, adeo, ut Judeum esse, crimen & delictum sit, ex eo, quod reprobata superstitutione prosequatur, habito in primis respectu ad ipsum DEum & æternam penam, arg. l. 1. *C. de SS. Trinit.* Quoad Judicem tamen & forum humanum hodie non punitur uti colligitur ex l. 1. *C. de Judæis & X. eod.* ubi multa ipsis permissa

missa reperiuntur, nec aliqua pena temporali ob Ju-  
daicinum multantur. *Paul. Parisi Vol. 4. Conf. 2. n. 1.*  
& seqq. Imo contra cuiusvis privati læsionem tutos  
eos esse, vel ipsum Juris naturalis præceptum, quod  
neminem lædere permittit, evincit. In specie ipsis  
provisum est in *l. 14. C. de Paganis, cap. 9. X. de Jud. &*  
*in Recess. Imperii, de annis 1548. 1577. Tit. 20.*

#### §. IV.

Hinc etiam illorum dubitatio vana est, qui æqui-  
tatem, secundum quam omnes leges ab initio a legis-  
latore constitutæ sunt, ipsis denegant, quoniam leges  
non sunt, nisi æquæ arg. *l. 90. de R. f.*

#### §. V.

Jus Publicum apud Judæos cum eversa Politia  
esse desit, nisi quatenus vestigia quædam circa eorum  
sacra relicta censeantur. Ad privatum autem certo  
modo referri potest Mosaicum, de quo, quatenus ad-  
huc inter Judæos valeat, sciendum, Legem Moralem,  
cum ea sit Lex æterna & immutabilis, in mente DEI  
perpetua Regula ac norma, divinæ Justitiæ, sanctitati  
& perfectioni correspondens, *Dn. D. Olearius in Univ.  
Theol. System. Theol. Positiv. artic. 72. §. 2.* utique non  
tantum Judæos, sed etiam cum iis Christianos, cæte-  
rasque Gentes hodie adhuc sine ulla exceptione li-  
gare.

#### §. VI.

Legem Ceremonialem quod attinet, ea durare  
tantum debuit usque ad Christum, quem adumbra-  
vit, dum vero pertinax Gens Judæa Christum adve-  
nisse negat, ac inde novum Testamentum despicit;

eam adhuc sibi observandam contendit, quod a Christianis tolerari potest in tantum, si ritus eorum non reprobati, vel expresse contra legem Christi scandaloue sint, *Tusch. Pract. Concl. 369. n. 6. verb. Iudæi*, dum festivitates feriasque suas sicut hactenus tam ipsi, quam Parentes eorum per longa retro colentes tempora tenuere, liberam habent observandi eas celebrandiique licentiam, e. g. *sincera 3. dist. 45.* neque tamen ejusmodi ritus, v. g. circumcisionem observare nolentes, a Magistratu Christiano puniendi sunt, quia Iudæi eo ipso in συληγοναρδια confirmarentur, eorumque Religio approbari videretur.

### §. VII.

De Lege Forensi notandum, quod ea, postquam Potestitia Mosaica esse desit, sit sublata, translato enim Regno aliquo, tollitur quoque Lex Regni, nisi novus Rex legem antiquam confirmet. Quousque ergo Imperatores everso Judæorum regno expresse aliud statuerunt, eosque Mosaica Lex abrogata est. *Dieterich. de Jure & fra-  
tu Iudæorum cap. 5.* Atqui Iudæi communij Romano jure vivere, omnesque suas actiones Romanis legibus conferre & excipere jubentur in l. 8. C. de Jud. quæ legis dispositio est generalis, neque ad solum judiciorum ordinem adstringi se patitur, sed omnino ad decisionem causarum etiam est extendenda, cum conferre actiones Legibus Romanis & excipere, sit ita aliquid proponere, prout vel Legibus Romanis prohibitum, vel permissum est. *Barboſa ad l. 8. C. de Iudæis. Tusch. Concl. 369. n. 5. verb. Iudæus.* Unde apparet, Iudæos in causarum generibus simpliciter juxta Jus Civile esse dijudicandos, nec legem Mosaicam observari debere, sive res inter Iudæos slos, sive mixtim inter Iudæos

&amp;

& Christianos agatur. Infertur hinc contra *Alexand.*  
*lib. 6. Consil. 6.* & *Marantam in specul. Juris p. 3. Judic.*  
*unde orig. dux. num. 50.* & *Schneidewinum in pr. Inst. de*  
*Hered.* quæ ab int̄est. successiones *Judæorum*, dispositio-  
*nēs eorum testamentarias, item causas matrimoniales*  
*& juramentorum, si formulas eorum excipias, secun-*  
*dum Jus Civile, non Mosaicum esse dimetiendas, pro-*  
*ut hæc omnia suis in locis infra latius deducentur.*

## C A P U T II.

### *De Juribus circa Judæorum Personas.*

**J**udæi sunt Homines libri §. 1. sed viles §. 2. ut cum illis  
*Conversatio familiaris Christianis sit prohibita* §. 3. hinc  
*ad dignoscendum charactere norati incedere debent.* §. 4.  
*An vero in Rep. Christianæ tolerari & recipi possint?* Affirm.  
 §. 5. 6. 7. 8. 9. & 10. *Conditiones tamen ipsi sunt praescri-*  
*bendæ* §. 11. *An ad fidem Christianam fuscipiendum cogi*  
*possint?* Neg. §. 12. *Patria Potestas in liberos illis compe-*  
*tit* §. 13. *Nuptias secundum leges Christianorum contra-*  
*bere debens* §. 14. *Repudia eorum non toleranda.* §. 15. *In-*  
*ter Christianum & Judæam vel viceversa nuptiæ contra-*  
*bi non possunt* §. 16. *An matrimonium duret, si alter Con-*  
*jugum Christianorum ad Judaismum prolabatur?* Resp. cum  
*difinitè.* §. 17. *Spurium Judæum Comes Palatinus legiti-*  
*mare potest,* §. 18. *Patria Potestas solvit, si filius Ju-*  
*dæus fiat Christianus* §. 19. *Judæi Jura Tutelarum habent*  
 & *Judeus filius fam. conversus minimam Capitis diminutio-*  
*nem patitur* §. 20. *Judeus non potest esse Tutor Chri-*  
*stiani* §. 21. *Tutela in Judæo pupillo, si Christianus fiat, si-*  
*nitur* §. 22. *Judæi non secundum ordinationes Hebræo-*  
*rum anno 13. majores fiunt* §. 13. *Judeus non potest esse*  
*Curator Christiani* §. 24. *Rabbi Judæorum vocationem a*

tutela & cura habere non debent, bene tamen illorum Medi-  
ci §. 25. Tutor Iudeus si fiat Christianus propterea non su-  
spectus est. §. 26.

### §. I.

Judæos liberos esse Homines, ex eo constat, quod  
contrahere, sibi acquirere, Testamenta facere, in ju-  
dicio stare, aliaque possint, quæ servi Romanorum fa-  
cere non poterant., *Paul Parisii vol. 4. conf. 2. n. 9. & seq.*  
Hinc in Republica semel recepti, censentur de popu-  
lo & corpore Civitatis, ita, ut appellatione populi Ro-  
mani illi quoque contineantur. *Roland. a Velle vol. 2.*  
*Conf. 35. n. 38.* atque ex consuetudine Germanie & sty-  
lo Camerae pro civibus Romanis habeantur. *Myns.*  
*Cent. 5. Observ. 3.* Cum vero in quibusdam Imperato-  
rum rescriptis servi & Kämmer-Knechte vocantur,  
hoc sit non secundum proprietatem vocabuli, sed re-  
spectu severioris subjectionis, & quod ipsos oportue-  
rit in expeditione Bellica, aliisque imperii necessitatibus,  
tanquam usurarios pecuniam colligere, & Came-  
rae Imperatoris inferre. *Paul. Parisii vol. 40. caus. 2. §. 7.*  
*Kizel. in discurs. de Regali habendorum Iudaorum jure.*

### §. II.

Ratione autem Conditionis & Religionis suæ,  
viles sunt homines, omniumque dignitatum inca-  
paces, *I. f. C. de Iudeis*, ut neque Doctorem promove-  
ri, neque postulare, neque alia officia publica subire  
queant, per quæ eis occasio Christianis nocendi tribua-  
tur, *dist. 54. c. 14.* Eaque de causa interdictum est Ju-  
dæis, ne servum Christianum comparare, nec largita-  
tis, vel alio quoconque modo consequi debeant, *I. f.*  
*C. ne Christian. manc. Iudei habeant, quod nefas sit,*  
*blas-*

blasphematorem Christi in servitutis vinculis detinere eum, quem Christus redemit. cap. I. X. de *Jud.* Ascriptum tamen Christianum habere possunt in consequiam ruris, quod possident c. 2. X. de *Juda.* Onus autem adscriptitio ultra illa, que peragere debet Colonius originarius, imponere, vel ad alium transferre locum sub pena amissionis juris Colonarii non possunt d. c. 2. X. de *Juda.*

### §. III.

Ex dictis apparet, nimiam conversationem cum Judaeis minus honestam esse Christiano, imo cum iis manducare, aut cum eis habitare, aut aliquem eorum cum ægroti decumbimus, vocare, aut medicinam ab iis accipere, (quod tamen in casu urgentis necessitatis & inopiæ Medici Christiani, aut si alias Judæus in curando morbo excelleret limitandum existimo,) aut cum eis in balneo lavare, eorum conviviis interesse, aut ad eorum nuptias accedere, cum iis ludere ac saltare, prohibitum est, c. nullus 28. q. 1. & Barbos ad cap. 5. X. de *Juda.* Unde Panormitanus in cap. 1. X. de *Juda.* infert: Judæo scholari non esse de rigore juris permittendum, ut cum Christianis scholas frequenter, cum ibi amicitia intima contrahatur, & periculum sit, ne juvenes ex astutia Judæorum subvertantur.

### §. IV.

Ut iraque a Christianis discerni possint, eapropter discreto veltitu, vel alio charactere notati incedere co-gintur, c. 15. X. de *Juda.* ita provisum in Reformatio-ne Guter Policey Ordnung zu Augspurg, de Anno 1530. Tit. von der Juden Kleidung, daß die Juden sollen einen gelben Ring an den Rock oder Kappe allezeit hal-

halben unverborgen zu ihrer Erkäntniss tragen. Atque in nupero Lipsiensium diataginate de Anno. 1682. §. 6. constitutum est, ut flavam maculam undique secum circumferant, atque postulanti Lictori sub pena commissi thaleri monstrarent. Privilegium tamen de non ferendo signum illud ex causa Judæis posse concedi, non dubitatur. *Barbos. ad cap. 5. X. de Judæis.*

## §. V.

Sed de illo quæritur: num Judæi plane in Republica Christiana tolerari debeant, & recipi possint? Affirmativa primo ex vaticinio Christi elici potest, qui Gentem hanc *Luc. 21.* peritaram non esse prædictum, quo ipso Judæum, ut Judæum tolerasse videtur.

## §. VI.

Deinde Judæis patrocinatur Jus Naturæ, quod omnibus, qui Humanæ naturæ participes sunt, ius Humanæ societatis concedit, ex quo jure etiam proximi credendi sunt omnes Homines naturæ nostræ, & hinc si non ob aliam causam, certe ob hoc tantum, quod sint naturæ nostræ participes, diligendi sunt Judæi, *arg. c. Charitas 5. pñnit. dist. 2. ex qua ratione Joh. Baptista Ferretus vol. 2. Consil. 381. n. 6. infert*, quod tempore necessitatis Judæis subvenire teneamur, & Rol. a. valle vol. 3. consil. 25. n. 31. & seq. deducit, quod Princeps tempore famis debeat Eleemosinas inter Judæos distribuere. Facit huc dictum, Feræ feras non expellunt, cur homo expellit hominem? Hinc Alexand. Papa c. 21. *X. de Testibus.* Judæos humanitate, foveri inquit, vid. pluribus Speidel. lit. 3. tit. 15. von Juden.

## §. VII.

## §. VII.

In jure quoque Civili, Canonicō & novissimis Imperii Recessibus publica Juris Tutela Iudæis est concessa, ut adeo, si de jure loquendum sit, dubium tam tolerationis, quam receptionis inde nullum super sit. Videri possunt l. 14. C. de Judæis l. 6. C. de Paganis l. 21. C. Theodos. de Jud. t. t. & præcipue cap. 9. X. de Judæis, & tandem Imperii Recessus Augustæ Vindelicorum de annis 1530. 1548. & 1551. & Francofurti ad Mænum 1577. habiti. Fuere autem Iudæi ab initio in solius Imperatoris protectione, ut ideo hinc inde in Recessibus Imperii appellantur Imperatoris servi, donec Carolus V. in Aurea Bulla Tit. 9. §. 2. Electoribus jus recipiendi Iudæos communicavit, quod deinde, sicut alia Regalia ad ceteros Imperii Principes ac status est extensum in der Pollicey: Ordnung de Anno 1548. Tit. von Ju den. Quocunque igitur distinctionis remedio tandem utaris, in Principum, qui Regali hoc gaudent, potestate ac arbitrio erit, recipere Iudæos, neque Princeps, qui recipit Iudæos, offendit illum, qui Iudæos pellit, quia jure utitur sibi competente. Dieterich. de statu. Judæorum cap. 2.

## §. VIII.

Taceo, quod Iudæis Respublica commode propter varia & pene infinita eorum negotia saepissime carere non possit. Provoco hic ad exemplum, quod Anno 1678. in Norwegia, ubi alias non tolerantur Iudæi, contigit, quando unicus Iudæus toti pene exercitu de commeatu prospiciebat, atque durante obsidione Bahusensi omnem pulverem cum plumbo, aliisque necessariis ex Batavia advehi procurabat, qua

B

opera

opera nemo alias ea in regione tunc fungi conabatur  
Atque in quantum Reges & Principes Judæorum opera  
utantur, constat inter omnes; Regiam Christinam  
Suecicam Emanuelem Texeira Judæum Hamburgen-  
sem sibi Institutorem constituisse notum est.

### §. IX.

Contra, quanti diræ illæ persecutiones, quibus  
Judæos expellebant Hispaniarum Reges, orbi Christiani-  
no constiterint, vel ex Camerar. Hor. Succisiv. cent. I.  
cap. 89. videre est, cum enim catervatum, ultra cen-  
tum millia utriusque sexus ad Turcam, cum immuni-  
tate apud Christianos frui non possent, se conferrent,  
primi Turcas docuerunt tum varia artifacia, tum etiam  
perfectiorem usum machinarum Bellicarum aliarum-  
que rerum, quibus antea Barbara ista gens destitueba-  
tur, adeo, ut Turcarum Imperator dixerit: Se non sa-  
tis mirari posse Christianorum simplicitatem, qui  
tantam multitudinem in propriam perniciem expel-  
lere potius, quam mancipiorum loco ad idonea servi-  
tia retinere maluerint.

### §. X.

Nec obest, quod sint Christianorum infensissimi  
hostes, & Christi blasphematores; jubet ipse Christus,  
ut hostibus beneficiamus, Blasphemis vero eorum  
præter DEI omnipotentis iram, paratum erit suppli-  
cium l. u. C. de Judæis. Seditiones, quæ ab ipsis ti-  
mentur, ut cujusvis etiam Christiani seditionis, coer-  
cebit legum severitas, l. 14. C. de Jud. & t. r. ff. & C.  
ad L. Jul. Majest. adsum patibula, gladii, fustes, aliquæ  
instrumente, quibus facinora eorum coerceri possunt,  
certe oderunt peccare mali formidine pœna.

### §. XI.

## §. XI.

Ut vero præterea frænum ipsis iniciatur, severæ conditiones pro statu rerum erunt præscribendæ, quas nisi servent, nec spes sit, alio modo Reipublicæ consuli posse, eos a Magistratu expelli posse, imo debere, non dubitatur. Nam justa subsistente causa & necessitate suadente hæc tandem digna erit pœna, ut extortores ejiciantur. Possent hic conditiones recenseri, verum cum illæ pro rerum & Reipublicæ statu, & temporum locorumque circumstantiis Imperii variari debeat, prout ex nupera Lipsiensi Judæorum ordinatione *de anno 1682.* liquet, & præterea hinc inde in primis apud Hahnium in diatagmate Judæorum prostent, nullas hic apponere lubet nisi quod opiner, hanc inter alias illis annexi debere, ut Dominicis diebus aliisque feriatis, aut ad ratiuum singulis mensibus unam de conversione Judæorum concionem præstantis aliqui Theologi sub certa negligentia pœna visitare, eamque attendere cogerentur.

## §. XII.

Qua occasione quæri potest, num ad fidem Christianam suscipiendam cogi debeat? Ego, ut quæstionis hujus decisionem a studio meo alienam puto, ita Lectorem hic ad Decisionem concilii Toletani, cuius canon refertur *in distinct. 45. cap. 5.* qui in negativam inclinat, remittere constitui. Conferatur *cjusd. distinct. c. qui sincera 3.* ubi Gregorius mansuetudinem potius, quam violentiam suadet: Quale B. Lutheri ea de re fuerit judicium, patet *ex tractatu,* daß Jesus Christus ein gebohrner Jude sey, ubi inquit: Ich hoffe, wenn man mit denen Juden freundlich han-

delt, und aus heiliger Schrift sie sauberlich unterrichtet, es solten ihrer viel rechte Christen werden, und wieder zu ihrer Vater und Patriarchen Glauhen treten, davon sie nur weiter geschrekt werden, wann man ihnen vorwirft, und sie so gar nichts wil seyn lassen, und handelt nur mit Hochmuth und Verachtung gegen sie. Wenn die Apostel, die auch Juden waren, also mit uns Heyden gehandelt hätten, wie wir mit denen Juden, es wäre nie kein Christ unter den Heyden worden. Non laudandi ergo sunt, qui Judæis, ut Religionem Christianam amplectentur, vim intulere, constat ex historiis eos vi ad Christianismum compulso plerumque ad superstitionem relapsos esse: eaque de causa Henricus IV. Imperator, cum ex Italia Ratisbonam veniret, Judæis, qui inviti baptizati erant, ad Judaismum redire permettebat Crantz. lib. 5. Saxonie. cap. 14. Quamobrem, uti Judæi inviti baptizandi non sunt, ita nec eorum liberis vis adhibenda est, ne hoc ipso Parentes per indirectum cogantur ad fidem Christianam. In contrarium multis luctatur Zasius in tr. de Judæis.

## §. XIII.

Judæi porro sunt vel sui juris, ut Patresfamilias, vel alieno juri subjecti, ut filii familias, quod enim Patria potestas in liberos Judæis æque, ac Christianis competit, propterea non dubitatur, quod illa ex jure naturæ originem suam trahat, & apud omnes Gentes introducta, & demum a Jure Civili adaucta sit, ut propria Romanorum Civium sit facta, l. 3. ff. de his, qui *sui*, vel *alieni* *juris*. Cum Judæi itaque non tantum jure Naturæ & Gentium, sed etiam Civili utantur, & Romanorum jure vivant, l. 8. C. de *Judæis*, utique Patria

Patria potestas illis denegari non debet, sed is, qui ex Judæo & ejus uxore nascitur, in ejus potestate est per l. 4. ff. de bis, qui sunt, vel alieni juris, uti in specie de Judæis concludit Abbas in cap. 2. X. de Convers. Infidel. vid. Steph. Gratian. rom. 5. Disp. Forens. c. 977. n. 7. & 8. Surdus Consil. 141. n. 12. Rol. a Valle vol. 2. Consil. 35. n. 28. Fluunt inde commoda atque onera Patriæ potestatis, ut nimirum teneatur Judæus filiam dotare, per l. 19. ff. de Ritu Nupt. & donationem ante nuptias pro sua dare progenie l. f. C. de dotis promiss. ut vi illius juris Judæus Pater filio in Testamento heredem pupillariter substituere, pr. Inst. de pup. Test. liberis impubebribus Tutores dare, §. 3. Inst. de Tut. & l. 40. ff. de adm. & per. Tut. Tempore necessitatis & famis filium suum vendere l. 2. C. de Patriib. qui fil. disfraz. filiam in adulterio deprehensam juste occidere, l. 23. ff. ad L. Jul. de adult. reliquaque omnia hodie competentia Patriæ potestatis jura peragere possit.

#### §. XIV.

Uti vero vulgare est, tres dari Patriæ potestatis, causas, ita quoad primam, Nuptias videlicet disceptatur, quo modo, & secundum quæ jura Judæi nuptias contrahere debeant? Sunt, qui illas Legis Mosaicæ dispositioni subesse volunt, quod causa matrimonii sit spiritualis, in qua Judæi jure Mosaico adstringantur. Verum figmentum & commentum hoc Canonicorum matrimonia simpliciter ad Sacraenta & res spirituales numerantium, a Theologis dudum est explosum, & quod Magistratus Civilis de forma & substantia Matrimonii possit ac debeat esse sollicitus, leges & sanctiones circa Matrimonia a Principibus latæ satis evincent. Cum ergo in l. 7. C. de Judæis nemini Judæo-

rum morem suum in conjunctionibus retinere, nec juxta legem suam nuptias sortiri permittatur, tantum abest, ut Judæis Lex Mosaica in conjunctionibus sit re-licta, ut potius expresse abrogata, & Judæi ad Jus com-mune redacti sint. Si igitur aduersus hoc coiverint, nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos intelligi debet, & liberi inde nati pro spuriis haberi, aliasque penas pati debent, quæ sacriss constitutionibus continentur §. 12. *Inst. de Nuptiis.* Recte a Ludovico Pio Imperatore, & Lothario de Nuptiis se-vere constitutum, ut Judæi juxta legem, quæ Christianis est lata, usque ad septimi generis gradum con-cessum, connubia contrahant, vid. *Goldast. tom. 3. Conf. Imperii de Anno 826. p. 255.* Unde fluit, quod nec Pa-truus Neptem, nec Frater fratri defuncti uxorem se-minis suscitandi causa, hodie in matrimonium assume-re possit. Ritus & solennitates, quas Judæi in nuptiis ob-servant, videri possunt apud Buxtorf. in *Synagog. Ju-daic. cap. 39. per tot.* ubi in fine monet, quod ante omnia caveat, ne Christianum ad nuptias in-vitent.

### §. XV.

Quod attinet Judæorum repudia, quorum formu-lam & ritus dictus *Buxtorfius in cap. 40.* recenser, tole-rari ea non debent, cum ritus eorum tum demum permitti possint, si non sint contra Legem Christi. Atqui Christus repudia aperte ad duritatem cordis gen-tis illius remisit, eaque *Marc. 10.* pro adulteriis decla-ravit. Neque unquam Judæorum repudia Deo pla-cuisse in sacro Codice legitur sed Moses, ut sapiens Le-gislator, dum vedit Judæorum perversitatem, permi-sit ea, quod Patres eorum talia in usu esse, viderant, non

non quod approbaret, sed ne in pejora ruerent, ac odiosas uxores forsan occiderent, sic Patriarcharum polygamia fuit tolerata, nullibi tamen approbata legitur, ut adeo, non quid apud Judæos in veteri Testamento factum sit, sed quid fieri debuerit, spectandum, ita, ut vel hinc ipsi etiam Judæi Regule Christi obstricti videantur & sic vel inviti matrimonia juxta legem Christianorum inire teneantur. *Dieterich. de statu Judæorum cap. 1.*

### §. XVI.

Inter Christianum tamen & Judæam, vel vice versa, contrahi nuptiæ plane non possunt, adeo, ut crimen hujusmodi viceim adulterii obtineat *I. 6. C. de Judeo.* Christianus itaque Judæam, vel Judæus Christianam scienter sub matrimonii velamine cognoscens, punitur pena capitis, quæ adulteris est addicta §. 4. *J. de publ. Jud. & I. i. ff. de adulz.* dum commixtio talis gravior & deterioris conditionis habetur, quam adulterium & incestus, & quam cum proxima consanguinea coire, liberi hinc ex tali commixtione concepti, non reputantur legitimi, sed incestuosi, ita, ut a Patre alendi non sint, & omnis successionis incapaces reputentur. *Barbos. ad I. 6. C. de Judæis* De jure tamen Canonico perpetua excommunicatione damnantur, c. si quis causa. 28. q. i. vid. *Barbos. ad d. I. 6. C. de Judæis.* Sin autem quis Judæus serio Christianam religionem complecti velit, deque eo Magistratus certo constet, ex hac causa ejusmodi matrimonium permittri posse, adeoque sacramento Baptismatis vitium tolli, existimo per c. non operet. 28. q. i.

### §. XVII.

## §. XVII.

Quæritur hic si alter conjugum Christianorum ad Judaismum prolabatur, an tunc vinculum conjugale perduret? Quod Canones sine distinctione affirmant, quasi sacramentum fidei quod semel est admisum, nunquam amittatur, sed ratum efficiat conjugium, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret, cap. quanto X. de divortiis. Verum Beza in libello de divortiis p. n. 192. & Lutherus in explic. ad 1. Cor. 7. §. Wie nicht das Christliche Gemahls rechte a Canonibus receidunt, statuentes quidem matrimonium eo in casu durare, quamdiu infidelis consentit in conjugio, sin autem discedit a fideli, discedat, inquit Apostolus: Non enim servituti subjectus est frater & soror ejusmodi, sed eo casu is, qui relinquitur, potest vivente altero ad secundas convolare nuptias. vid. Mindan. Consult. Saxon. q. 37. §. 4. & seqq. Schneidew. Tit. de nuptiis, part. 4. de divortiis, §. 20.

## §. XVIII.

Per Legitimationem & Adoptionem Judæos posse filios juxta observationes in jure traditas in potestatem redigere, dubium non est, dum hæc beneficia nullibi ipsis ademta reperiuntur. Id queritur, num Comes Palatinus Judæum spurium legitimare possit? quod affirmatur, quia per legitimationem non tam dignitas, ad quam aspirare non potest Judæus, conferatur, quam naturæ, cuius specimen refert legitimatio, succurritur.

## §. XIX.

Patria potestas solvitur multis modis, quibus numerari potest, quod filius Judæus ad fidem conversus

sus liberetur ea, & sui juris fiat in iis, quæ tendunt in Patris commodum, Spiritus enim Sancti vocatio omnia solvit vincula, & ubi Spiritus DEI, ibi libertas est, c. duæ 19. q. 2. Facit huc, quod conversi Judæorum filii vel filiæ ab eorum consortio, ne Parentum involvantur erroribus, separari debeant ac Christianis, ut sub eorum gubernatione & educatione in fide confirmantur, committendi, arg. c. *Judæorum* 28. q. 1. Accedit fidei favor amplissimus, qui inter alia filium a Patria potestate liberat, unde, quamvis filius regulariter in Patris potestate sit, ejusque familiam & conditionem sequatur, in casu tamen, ubi conjux Judaica transit ad fidem Christianam, marito in Judaica superstitione manente, proles sequitur conditionem matris, ejusque religionem. per c. *Judæi* 28. q. 1. & c. ex literis tuis X. de *Convers. Infidel.* Ita licet Patris potestas in omnibus voluntati matris prævaleat, quoad Baptismum tamen parvulo dandum in concursu patris Judæi & matris conversæ, hujus consensus favore Religionis prævalet, exclusa contradictione Patris. Steph. *Gratian.* discept. *Forens.* tom. 5. c. 977. n. 20. & seq. De avo converso minus est dubium, quod ejus consensus in Nepote parvulo baptizando contradictioni Patris Judæi præferatur, cum avus ex propria conversione non amittat jus Patriæ potestatis, quod retinet in filios & nepotes non conversos, dum propter conversionem ejus conditio fieri deterior non debet. *Gratian.* c. l. c. 977. n. 9. & per rot.

## §. XX.

Judæi qui sui juris sunt, vel sunt in Tutela vel cura, vel neutro jure tenentur. Imponberes in Tutela esse, naturali juri conveniens est, ut is, qui perfectæ

festae aetatis non sit, alterius Tutela regatur. §. 6. *q. de Attilian. Tut.* Judæos autem habere jura Tutelæ Testamentariæ, Legitimæ & Dativæ, inde non est dubium, quod Romanorum jure vivant, & Juris Civilis participes sint, per supra tradita cap. i. Recte hinc Judæo Patri permisum liberis impuberibus, quos in potestate habet, testamento Tutores dare. His deficientibus vocationi sunt legitimi, quorum occasione quaeritur de capitib[us] diminutione, quamnam Judæus ad fidem conversus dicatur? Resp. Minimam, quæ familiam adimit. Conversio quippe Judæi filium fam. potestate patria liberat, eumque sui juris facit usi §. præced. dictum. Si cui autem Judæo nullus omnino Tutor existat, ei a Magistratu Loci, in quo vivit, constituendus est, per pr. Inst. de Attil. Tut.

Hic disceptatur: An Judæus Christiani Tutor esse possit? Ita expresse vult glossa ad verba non Judæorum in I. 15. §. 6. ff. *de Excus. Tut.* Aliique Jcti non pauci, moti, quod Tutela referatur inter onera, a quibus Judæi immunes non sint. Verum cum Tutela sit vis ac potestas, adeoque vi hujus potestatis Tutor pupillo præsit, cum Tutor principaliter personæ detur, nimis absurdum foret, ut blasphemius Christi in Christianum vim potestatis exerceret, cap. cum sit X. *de Judæis*, adeoque nec Judæo tutela Christiani deferri debet. Porro, quemadmodum ille, in quo rerum pupillarium periculum timetur, ut est in debitore pupilli & Creditore, arceri potest a munere Tutelæ. *Auth. minoris debitor C. qui dari Tut. poss.* ita multo magis excludendus erit a Tutela Christiani Judæus, a quo timendum est periculum animæ, & quamvis hoc ultimum evitari posse statuatur, si pupillus non alatur apud

apud Tūtorem, sed apud alium, ut fieri solet, quando contra Tūtorem aliqua suspicio militat l. i. §. i. ubi pup. educ. debeat, & l. f. C. eod. nondum tamen inde alia incommoda sublata dici possunt. Notum enim est Judæorum Vatinianum & novercale odium in Christianos, vid. Surdus Consil. 122. n. 44. & seq. Verba itaque non Judæorum in l. supra cit. 15. §. 6. ff. de Excusat. Tur. non ad Christianos, sed ad alias sectas Judaicis superstitionibus non addictas, Samaritas aut Montanistas, de quibus in Nov. 45. præf. referri debent. Majer in Coll. Arg. ff. de Excusat. Tutor. §. 18. n. 4. aut nomen Judæi in illa lege, juxta Bussum in Pand. ad l. 15. §. 6. c. i. explicandum est de Christianis, qui nomine Judæorum tum permiscue a Gentilibus accipiebantur.

## §. XXII.

Tutela finitur variis modis, inter quos Judæo specialis est, si pupillus Judæus quoquo modo ad Christianismum pervenerit, quod Judæus, ut diximus, Christiani Tutor esse nequeat. Ita quoque, si Christianus Tutor ad Judaismum transeat, finitur Tutela, quod res in eum statim deveniat, a quo initium capere non potest, per l. 28. ff. de Verb. obl.

## §. XXIII.

Puberes Judæi deveniunt in curam, in qua ad annum usque 25. ætatis, nisi alia ætas in terris, ubi habitant, a Magistratu sit constituta, persistere debent juxta pr. Inst. de Curat. & l. i. §. ult. ff. de Minor. Non enim ordinario Hebræorum hic servanda, quæ disponit, marem post 13. fœminam post annum pro Majore haberi, præterea enim quod regantur jure Romanorum, l. 8. C. de Judæis, ea ordinatio in Pentateuco non reperitur scripta, eoque minus ejusmodi Rabbinoruim traditiones sunt atten-dendæ. Nam vel exinde nullius sunt momenti, quod

ex naturali ratione constet, marem 13. & feminam 12.  
ætatis anno perfecti Consilii & intellectus nondum esse,  
cum fragile & infirmum sit hujusmodi ætatum consili-  
um, & multis captionibus suppositum, l. i. ff. de Min.  
vid. Pet. Surdus Decis. 133. per tot.

### §. XXIV.

Quæritur hic: An Judeus Christiani Curator esse  
possit? Et videretur quod sic, quod principaliter rebus  
detur, vid. Hartm. lib. 2. observ. 15. n. 6. Sed rectius ne-  
gatur, quod Curator non simpliciter rebus, sed secun-  
dario etiam personæ constituatur, ut certe aliqualis po-  
testas penes Curatorem resideat, atque adeo rationes de  
pupillis supra traditæ, etiam hic locum habeant. Acce-  
dit, quod nimia familiaritas & conversatio, quæ in cura  
requiritur, cum Judeo sit prohibita, c. nullus 28. q. 1. &  
cap. ad hæc X. de Judent. Præter alia incommoda fo-  
ret etiam contra bonos mores, Christiano Tutorem vel  
Curatorem dare Judæum.

### §. XXV.

Tutoribus & Curatoribus commune est Excusa-  
tio a Tutela & Cura, quæ variis ex causis datur, licet  
vero juxta §. 14. Inst. de Excus. Tut. & l. 8. C. de Profess.  
& Medic. Rabbini Judæorum a Tutela & Cura vocati-  
onem habere videantur, quod Juventutem & populum  
informat, & suis moribus instruant, ea tamen ipsis con-  
cedenda non est, quia id nihil foret amplius, quam per-  
tinacibus istis in superstitione sua patrocinari. Medicis  
tamen eorum, qui inter eos assumpti sunt in numerum,  
excusationem a Tutela juxta §. 14. f. de Excus. Tut. & l.  
6. C. de Prof. & Med. concedi posse existimo, quod eo-  
rum opera tam odiosa & Christianorum fidei, ut qui-  
dem Rabbinorum, adversa non sit. Caeterum non ex-  
cusantur Judæi a Tutela non Judæorum l. 15. §. 6. ff. de  
Excus.

*Excus. Tur. aliorum sc. quam Christianorum, Majer. in Colleg. Argent. ff. de Excusat. Tut. §. 18. atque hinc Judæus Ethnici vel Turcæ cujusdam Tutor esse potest, nisi quatenus in foro conscientiæ, quod pupillum ad Judaïsmum perducat, prohibendus sit. Quemadmodum e contrario Tutor vel Curator Judæus post suam conversionem Tutelam Judæi deponere non debet, quod spes sit, illum ad Christianam Religionem converti posse.*

### §. XXVI.

Denique Tutorum & Curatorum commune est accusatio Suspecti, quæ ob id, quod Tutor vel Curator Judæus factus sit Christianus, locum habere non potest, suspectus enim est is putandus, qui moribus talis est, ut suspectus sit, §. ult. f. de susp. Tur.

## C A P U T III.

### De Juribus circa Judæorum Res.

**N**aturalia &<sup>z</sup> publica Judæis non disputantur §. 1. Libri Talmudici Judæis sunt sacri, sed a Christianis tolerandi non sunt §. 2. Synagogæ in Jure Civili pro locis Religiosis aëstimantur §. 3. An a Christianis tolerari debeant? Affirm. §. 4. Cœmiteria Judæorum quoque aëstimantur religiosa §. 5. Sabbarum & festa Judæorum Christiani turbare non debent. Non vero Magistratus illis ad nundinas venientibus celebrationem festorum concedere potest §. 6. Neque Judeo in ergasterium ad labores detruso die Sabbathi labores sunt remittendi §. 7. Judeus Christianum in bello captum extra Imperium Christianorum in servitutem redigit §. 8. Sub Christiano regulariter militare non debet §. 9. Rem Christiani præscribere §. 10. Testamentum secundum dispositionem Juris Civilis condere. §. 11. & Testis in testamento

mento Christiani esse potest §. 12. Filium juxta Nov. 115. exhiberedare, non ob Religionem Christianam amplexam potest, quo casu potius tenetur Converso legitimam dare §. 13. Christiani & Judæi sibi invicem bæredes instituere possunt §. 14. Sed non sub Conditionibus iisdem ratione Religionis §. 15. Judæus conversus exhiberedatus ob Religionem de officioso legitima licet vivo Patre obtenta agere potest §. 16. Judæis beneficium inventarii non denegatur §. 17. Legatum ex Testamento Christiani accipere §. 18. Et Fidei commissa inter eos constitui possunt, §. 19. In successionibus ab intestato tenentur servare Nov. 118. §. 20. Et Conversus retinet jura agnacionis & successionis §. 21.

## §. I.

**N**aturali jure communia & Publica Judæis non disputantur, uti quoque certo modo illis concedendæ sunt res, quæ universitatis sunt ejus loci, ubi degunt, sicut Amstelodami aliisque in locis eadem cum Christianis Bursa Mercatoria utuntur.

## §. II.

Rabbinorum traditiones & Libri Thalmudici Judæis res sunt sacræ, quatenus vero multis heresibus contra ipsam Mosis, Naturæ & Juris Gentium legem, & insuper execrandis blasphemias in Christum Servatorem & Cabballisticis somniis referti sunt, arg. eorum, quæ traduntur ad Nov. 146. c. i. interdici ipsis imo comburi debent, prout Pontificum aliqui, ut Gregorius IX. Julius III. & Paulus IV. per omnes urbes illos Vulcano consecrari curarunt. De origine Thalmudi videri potest glossa ad dict. Novell. 146. cap. i. In ordinatione Judæorum Serenissimi Hassiae Principis, Domini Georgii §. Erstlich cavetur: die Juden sollen mit ihren End bestätigen, daß sie keine Bücher bey sich haben wollen, welche

welche wieder den Christlichen Glauben sind, deswegen  
fleßige Inquisition angestellet werden soll.

## §. III.

Synagogas Judæorum in jure Civili pro locis Religiosis æstimari, patet ex I. q. C. de Judæ. ubi Imperatores eas religiosas Domus vocant, & in casu ibi proposito jure sacrorum frui jubent.

## §. IV.

Fluit hinc decisio quæstionis, an Judæis Synagogæ in Republ. Christiana sint concedenda & toleranda? Evidem si D. Lutherum nostrum consulimus, daram is contra illas in libello de Judæis profert sententiam his verbis. Ich will meinen treuen Rath geben, daß man ihre Synagogen mit Feuer ansstecke, und was nicht verbrennen will, mit Erden überhäuse und beschütte, daß kein Mensch einen Stein oder Schlaffen davon sche ewiglich. At modum hac in re adhibendum esse opinor ne forte studium Religionis transcendat limites. Alter creditum fuit in vetustissima Ecclesia, aliter Patres sanctissimi docuere, quibus cum & jura subscribant, & rationes accéderant, cur Imperatorum & Pontificum autoritati dissidere, nec rationes audire velimus? Certe I. 13. §. 6. ff. de Excus. & Constitutiones Divorum Fratrum sine molestia Judæos esse jubent, in iis etiam, per quæ cultus inquinari videretur, quemadmodum & I. 14. C. de Jud. expresse prohibetur synagogas eorum concremari, Conf. I. 3. §. 3. ff. de Decur. & quamvis ipsis novas pro Iubitu extruere prohibitum sit, antiquas ramen si forte corruerint, vel ruinam minentur, fulcire & redificare concessum est I. s. C. de Jud. & c. 7. X. eod. sed quid si penitus collapsæ aut incendio forte consumtae sint? De novo eas ab illis extrui posse, autumo, cum ita restaurata secundum æquitatem juris non novæ sed eadem intelli-

intelligantur gl. ad f. C. de *Jud.* modo non altiores aut pretiosiores, quam antea fuerunt exaltentur, d. c. 7. X. de *Jud.* Porro eo ipso, quo Judæi recepti sunt tacite etiam pactum initum videtur Synagogam illis fore salvam, quippe sine qua Judæus non potest esse Judæus; posito enim antecedente, necessario ponendum est consequens vid. *Limnæus de Jur. publ. lib. 3. c. 2. n. 23. & 43.* Quod ergo semel placuit, amplius displicere non debet. Imo, cum nulla gens sine Religione consistere ac regi possit, utique Synagoga ipsis non erit deneganda. Neque etiam temere credendum est eorum relationi, quod in iis Deum, Creatorem celi & terræ plane non adorent, neque ad pietatem aliasque Deo gratas virtutes populum adhortentur. Licet negari non possit, ingenitem in iis dementiam ob deplorandam illorum cœcitatem exerceri, ita, ut visitantibus Christianis risum magis, quam devotionem extorqueant, expellendi ramen propterea non sunt, sed imbecillitates eorum a Christianis tolerari debent, usque dum veritatem agnoscant, quemadmodum DEus Optimus, Maximus, ex immensa sua misericordia maximas hominum imbecillitates perfert. Ubivis hinc, ubi habitare ipsis conceditur, Synagogam exstruendi licentiam impetrarunt. Ita ante paucos annos Batavi Amstelodami concesserunt Judæis juxta Veterem novam exædificare Synagogam, quæ ob magnificentiam aspici meretur.

## §. V.

Judæorum etiam cœmeteria pro locis religiosis æstimari, ita, ut nemini Christianorum licitum sit, ea mutilare aut invadere, patet ex cap. 9. X. de *Judæis*, ex quo elicitur, Judæum de sepulchro violato contra Christianum experiri posse. Ipsum autem non in Christianorum cœmeterium tumulandum esse, sed extra hoc in

in separatum locum, liquet inde, quod si contigerit casu quodam, Judæum in Christiano cœmeterio sepultum, & ab aliorum corporibus discerni poterit, exhumari, & procul in aliud locum jactari debeat, *cap. 12.*  
*X. de Sepultur.*

## §. VI.

DE Sabbatho Judæorum cautum est, ne quis eo cum cultus sui reverentiam servant, operetur aliquid, quod adeo extenditur, ut neque tunc a Christianis conveniri debeat *l. 13. C. de Judæis.* Siquidem festivitates, feriasque suas liberam habent observandi celebrandi que potestatem, *c. qui fincem, dicit. 45.* Quaritur autem, num Magistratus tempore Nundinarum Judæis adventantibus Sabbathi ac Festorum celebrationem in conventu concedere possit? Quod negatur, præterea enim quod res mali sit exempli, periculosa & scandalo plena, foret id species receptionis, quæ sola est ejus, penes quem ea est potestas recipiendi Judæos.

## §. VII.

Alia quæstio est, si Judæus in ergasterium detrudatur, num Judæorum die Sabbathi eidem labores sint remittendi? Ita de jure *per d. l. 13. C. de Judæis* videtur, verum hic aliquie textus intelligendi potius sunt de cœtu & congregatione Judæorum, ut eorum cultus non perturbetur in locis præsertim ubi publica juris tutela illis est concessa, secus est in casu nostro, ubi superstitioni damnati indulgendum non est, neque ferrī potest, ut melioris conditionis efficiatur Judæus, quam Christianus, si huic die saltem Dominica, illi insuper & die Saturni labores remitterentur, prout ita Lipsiæ cum Judæo in ergasterium detruso, prudenter hodie observatur.

D

## §. VIII.

## §. VIII.

Res singulorum fiunt vel Iure Gentium vel Civili. Inter modus acquirendi juris Gentium præcipuus est Occupatio, quæ præcipue contingit Captivitate in bello. Circa quam quæri potest, num si Iudæus capiat Christianum in bello, hic jure Belli Iudæi servus fiat? Ita ex §. 17. *J. de R. D.* elicetur, modo capiens Iudæus non sit subditus Imperio Christianorum. Sed anne Iudæus sub Christiano militare potest? Regulariter non per l. 12. & 18. *C. de Hæret.* quia nemo militare debet, qui non apud acta testificatus sit propositis SS. Evangelii, te esse Christianum orthodoxum l. 20. *C. de Episc.* audiens. Quin vero tempore necessitatis Christiani eorum auxilio uti possint non dubito. Ita Maccabæus sedus cum Romanis, qui tum infideles erant, ut multo se adjuvarent, iniisse legitur i. *Maccab.* 8. & 12. Sic anno 1611. Iudæi Pragæ domos ac plateas munivere, ac permissu Magistratus armis assumptis excubias egerunt, vid. *Sleidan.* part. 3. *Contin.* lib. 36. §. 4. v. 1592.

## §. IX.

Modi acquirendi Civiles, sunt vel particulares vel universales. Inter particulares est Usucapio. Posse vero Iudæum rem Christiani præscribere, indicat glossa ad c. porro §. 16. q. 4. ex mente potissimum eorum, qui usucapionis initium ex jure Gentium deditunt. Eckolt, ad Pandectas de Usurp. & Usucap. §. 7. Accedit ratio usucapionis introducere, ne scilicet semper in incerto essent rerum dominia l. 1. ff. b. 1. quæ locum quoque in Iudeo habet. Limitatur tamen in re Ecclesiæ, quam præscribere non potest Iudæus, vel alias infidelis, vid. Ludov. Romani Consil. 489. num. 3. Barbos. ad d. c. §. porro 16. q. 4.

## §. X.

## §. X.

Modus acquirendi universalis potissimum est Hæreditas, quæ contingit vel ex Testamento, vel ab Intestate. Multi Judæis, tanquam Usurariis publicis Testamenti factionem active & passive ademptam volunt per cap. 2. X. de *Vsuris in her.* Verum Capitulum illud potius de Christianis usurariis, quorum Testamento certo modo non valere dicuntur, quam de Judæis loqui, ex inspectione Capituli patet. Cum itaque nullibi in jure Judæo testari sit prohibitum, censebitur permisum arg. l. 28. §. 2. ff. ex quibus caus. major. Formam interea & dispositionem Juris Civilis in condendo Testamento observare tenentur arg. l. *Judæi 8. C. de Jud. Menoch. I. 4. Præsumt. 189. n. 35.* Hinc præter alias solennitates, non duos, sed septem testes in testamento adhibere Judæum debere, certum est.

## §. XI.

Ubi queritur, an Judæus testis esse possit in Testamento Christiani? Affirmativam suadet l. 21. C. de *Hæret.* quæ in ultimis elogijs propter utilitatem necessarii usus eos sine ulla distinctione admittit, ne probationum facultas augustinetur, quod tamen multi declarant tum demum valere, quando alius haberi non possit. *Barbos. ad d. l. 21. C. de Hæret.* Inprimis vero adhiberi posse Judæos, non dubitatur, si cum ipsis adsint contestes Christiani, quo casu tale Testamentum ob testes suspectum redidi non posse, statuitur, vid. *Manzius de Testam. valid. lib. 5. q. 1. Summar. 69. §. 70.*

## §. XII.

Deinde Judæus, si filium habet, curare debet, ut eum instituat heredem, vel exheredem faciat. Exhereditatio autem fieri deber juxta Nov. 15. ex justa causa, qualis non est, si filius se ad Religionem Christianam

converterit, cum melioris conditionis ad fidem conver-  
sos esse oporteat, quam ante fidem suscep tam habeban-  
tur, cap. *Judæi X. de Jud. & Barbos. ad d. c.* Tantum  
itaque abest, ut Pater Judæus filium conversum ahere-  
dere possit, ut potius hic contra Patrem adhuc vivum  
ad legimitimam consequendam agere possit. *Manzius*  
*de testam. valid. tit. 12. qu. 15. summ. 16. Berlich. part. 3.*  
*Concl. 14. n. 31.* Quoniam semper metuendum, ne Pa-  
ter Judæus in fraudem filii conversi omnem substan-  
tiā in communionē sectæ suæ detestabilem conse-  
rat, & ita filius omni restitutionis remedio destitutus  
legitima postea carere cogatur contra *Nov. 15. cap. 3.*  
ui in simili casu responsum fuit a *Carpzov. p. 3. Cons. 12.*  
*Def. 10.*

#### §. XIII.

Cum igitur nullibi Testamenti factio in jure inter  
Christianos & Judæos prohibita reperiatur, dubium  
non est, quin ab invicem heredes institui possint. Aliud  
asserendum est de Collegio Judæorum per *I. i. C. de*  
*Jud.* non quod omnia illorum Collegia penitus illicita  
sint, sed potius, quod viribus, & opibus augenda non  
sint, sed depauperanda, ut adeo locum habeat illud  
Hieronymi de vita Clericorum. *Non de lege,* inquit,  
*conqueror, sed doleo, quod meruimus hanc legem.* vid. *Cujac.*  
*lib. 7. obs. 30.*

#### §. XIV.

Uti autem hæres potest & pure & sub conditione  
institui, ita Judæus sub conditione heres institutus, ut  
Christianus fieret, non aliter, nisi impleta conditione  
hæreditatem accipere potest, sed non econtra Christia-  
nus a Judæo institutus, ut fieret Judæus, ita tenetur,  
hic enim sine adimplēta illa conditione tanquam turpi  
& contra bonos mores hæreditatem adire potest. Si-  
cuti

cuti & illa Conditio, tanquam turpis habenda erit, quando Judæus Judæum in testamento heredem facit, sub conditione, ne Fidem Christianam amplectetur, hujusmodi enim conditiones remittendas, scribit *Paulus l. 9. ff. d. condit. instir.* ita, ut semper legatum vel hereditas capiatur, & conditiones tales testamento apposita, pro impossibilis habeantur, *per. l. 3. ff. de condit. instir.* Sed quid, si apud Turcas Judæus Judæum instituat heredem, ne ad Mahometismum transeat, eane Conditio pro impossibili & turpi est habenda? Quin pro tali a Turcis habeatur, non dubium erit, atque pro eadem a Christiano aestimari posse existimo, quod *reſte Höninger in der Türkischen Hoffaltung, lib. 2. c. 8.* Judæus, si ad Mahometismum transire desiderat, non nisi prius baptizatus & Christianus factus recipiatur.

## §. XV.

Dum Quartam quis habere debet, ut de Inofficio agere non possit, queritur, num Judæus conversus illa a Patre vivo obtenta, quod supra §. 13. fieri posse diximus, nihilominus de Inofficio agere queat propter Religionem exheredatus? Ita ex æquitate existimo, dum conversus extraordinario modo intuitu alimentorum, quæ propterea, quod filius Christianus factus sit, denerari a Patre Judæo non debent, & propter periculum, ne Pater Judæus in odium filii omnia bona sua in alios transferat, *ut supra §. 13. dictum,* Legitimam exigit. Si ergo plura bona supersint, portio hereditatis suæ in integra Converso est exhibenda *c. 5. X. de Judæis,* cum dignitas per Baptismum adepta, eum melioris conditionis efficiat, & jura Successionis minime perdat *vid. inf. §. 21.*

## §. XVI.

Denique qui rerum hereditiarum Inventarium confecit, hereditatem sine deliberatione tutus adire

D 3

potest,

poteſt, quod juris Beneficium, dum Benevolentia Imperatoris commune omnibus ſubjectis imperio praeficitur §. pen. Inſt. de hered. qual. & differ. atque ad omnes extendere voluit l. 22. C. de jure delib. Judaeis, qui jure Romanorum vivunt, l. 8. C. de Jud. & pro Civibus habentur, illud denegandum non eſt, cum de illis aliter ſtatutum non reperiatur. Hinc ſi Judaeus cum beneficio inventarii adierit hereditatem damnosam illud ei non tantum contra Judaeum, ſed & contra Christianum & quemvis alium prodeſſe debet.

### §. XVII.

In Testamentis legata relinquentur. Quæritur hic: An Judaeus ex Testamento Christiani legatum accipere poſſit? Resp. quod ſic, quia illis legari poſteſt, cum quibus eſt Testamenti factio §. 24. Inſt. de Leg. quæ uti nullibi Judaeis eſt prohibita, uti ſupra §. ii. diectum, ita per Leges permitta cenſetur. Accedit libera Testatoris legandi facultas, cum nihil ſit, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremæ Voluntatis (poſtquam aliud velle non poſſunt) liber ſit stylus & licitum, quod iterum non redit, arbitrium l. i. C. de SS. Ecclef. Præterea etiam publice expedit, ſuprema hominum judicia exitum habere l. 5. ff. teſtam. quemadmodum aperiant. denique l. i. C. de Judaeis reperiſtur faneſitum, ut quod Universitatibus Judæorum legatur, peti non poſſit. Cum ergo non ſingulis Judaeis, ſed collegio eorum quicquam legari prohibeatur, atque ita facultas legandi in hoc tantum reſtringatur, exceptio ea legandi regulam in caſibus non exceptis conſirmat, facit huc l. 20. ff. de rebus dubiis, ubi licet legatum Collegio non debeatur, reliquum tamen ſingulis ex Collegio valet, qui non quaſi Collegium, ſed ut certi homines admittuntur, vid. Carprov. p. 3. Conſt. 13. Def. 36. Finckelthaus obſerv.

*observ. Praet. Obs. 84.* ubi post rationes dubitandi & decidendi sequens præjudicium a Facult. Juridica Lipsensi anno 1633. die 8. Julii Judæis Francofurtensibus datum refert, in quo obiter observari meretur formula rescribendi in præjudicij introitu de gratia DEI.

Gottes Gnade und Heyl  
Wünschen wir euch N. N. Juden.

P. P. Ob wohl nach Verordnung Kaiserlicher Rechte einem ganzen Collegio der Jüden kein Legatum ausgemacht und verlassen werden kan, auch etliche Rechts-Lehrer derer Meinung seyn, daß ein Jude des Legati, so ein Christ Ihm in seines letzten Willens Verordnung verschaffet aus gewissen Ursachen nicht fähig sei. Doch aber kan nach gemeinen Schlüß der Rechts-Gelehrten ein Jude vor sich aus eines Christen Testamente ein Legatum oder Vermächtniß wohl fordern, indem ein jeder Testator seine Güter, wen er will, zu verlassen besugt, auch die Testamenta billich bey Kräften erhalten werden sollen, bevorab, weil die Rechte ausdrücklich nicht verbieten, daß ein Christ einen Juden ein Legatum vermachen könne, überdß die Jüden an unterschiedlichen Orten in Romischen Reich auff gewisse Maah und vorgeschriebene Gesetze geduldet und gelitten werden, so seyd auch Ihr obangeregtes Legatum der 100. fl. Gulden so ein Christ und Bürger zu N. in seinem Testamente Euch hinterlassen und aufgesetzt, zu fordern wohl gesugt, B. A. W.

### §. XVIII.

*super Fideicomissa inter Judæos constitui posse, & Autheoric. Res qua C. communia de legat. & fideir. locum habere testatur Menoch. l. 4. Praef. 189. n. 34. Nunc ad successionem ab intestato.*

### §. XIX.

## §. XIX.

Qui contendunt legem Mosaicam tanquam Judæorum spiritualem inter eos observandam esse, Judæos inter alia in successionibus ab intestato legi suæ relinquendos esse statuunt. Verum cum successiones omnino ad forum spectent, & leges Mosaicas forentes cum ipsa Republica sublatas esse, *supra cap. i.* ostensum sit, necessario sequitur, illas hodie jure communi includi, quo Judæi in imperio vivunt *l. 8. C. de Judæo*: cum alter nihil circa illas constitutum esse reperiatur, imo potius successiones ex jure Mosaico prohibitas esse, ratio juris dilucide evincit, dum enim *Num. 21.* Masculus in successione excludebat fœminam, ne confunderentur tribus Israël, quod singulari tum ratione prudenter Deum præcavisse ex Pentateuchi lectione liquet. Et primogenitus ex lege Mosis duplum præ aliis fratribus in successione accipiebat, ad urberiorem & faciliorem familiæ conservationem. Et vero hodierni Judæi familias & tribus, ex quibus nati sunt, monstrare minime queunt, adeoque quod *Ezdræ 2. vers. 59.* legitur, hodie ad universam istius populi fecem applicari potest, sequitur, legis ratione cessante, propter quam contra communem juris rationem statutum erat, cessare ipsam legem debere *l. 7. pr. de Caduc. tollend.* Imo cum Imperatores in *l. 7. C. de Jud.* Judæorum nuptias vetant fieri juxta Legem Mosis, utique & successiones ex Lege Mosaica improbant, ut qua secundum gradus & lineam ex nuptiis derivantur, uti constat ex *r. r. Inst. de Hæred.* quæ ab *intest. & Nov. 118.* Masculus ergo Judæus neque contra *l. 4. C. de lib. præter fœminam excludere*, neque Primogenitus contra *Nov. 118.* duplum præ aliis fratribus in successione ex lege Mosis accipere debet *vid. Diferic. de stat. Judæorum c. 5. n. 56.* Cum itaque *Novella 118.*

vella n<sup>g</sup>. hodie tanquam norma in successionibus sit præscripta, Judæi quoque non aliter, quam juxta illam, non obstante Lege Mosaica aut aliqua sub- & obreptitie introducta consuetudine de jure succedere debent.

### §. XX.

Quæritur, num conversus Judæus jura cognationis & successionis perdat? Quod negandum, quia jura Sanguinis velut naturalia sunt indelebilis<sup>1</sup>, §. ff. de R. Z. Et Baptismus eum non deterioris conditionis, quam ante fuit, reddit; ideoque severè constitutum, ut portio hereditatis integra ipsi exhibeat cap. Judæi 6. X. de Judæis. Unde omnino succedit Parentibus cognatiisque suis Panormit ad d. c. Judæi, ita, ut cum illi ultimam voluntatem, neque testamento, neque alio ultimo elogio declarasse monstrati fuerint, omnem Parentum & Cognatorum substantiam secundum leges nostras, tanquam hæres ab intestato sibi vindicet, l. 55. §. 1. C. de Episc. & Cleric: Minima enim status mutatio, quæ in Converso contingit, ad succedendum non nocet, l. f. ff. unde liberi.

## C A P U T IV.

### De Juribus circa Judeorum Contratus & Delicta.

**P**artitio Contractuum §. 1. Judæi Mutuum aliosque Contractum cum Christianis celebrare §. 2. & sub usuris licitis, muruare possunt §. 3. Ne autem nimium usuren tur Recess. Imp. provisum est §. 4. Nec eos privilegia pro Majoribus usuris juvant §. 5. arque insuper ubique fere leges circa usurras iis sunt præscriptæ §. 6. Princeps tamen ex potestate illis Majores quam quincunces concedere, ex æquitate non

potest §. 7. uti etiam Pontifex tanquam Dominus Territorialis §. 8. Statuta, quibus usuræ semisses permittuntur, comprebendunt etiam Judæos §. 9. Judæus, a Christiano usuræ supra alterum tantum petere non potest §. 10. usuræ mordates Judæis exolvi non debent, licet Juramentum intervenitur §. 11. Christiani & Judæi sibi invicem commodare possunt §. 12. Judæus non potest sequester inter Christianos constitui §. 13. Quoad pignora circa Judæos varis cautum reperitur §. 14. & 15. Christiani & Judæi pro se invicem fidejubere possunt §. 16. Judæis beneficia fidejussoribus data non denegantur §. 17. Obligationes suas Judæi germanice conseribere tenentur §. 18. Negotiari cum illis licitum est §. 19. Certus tamen illis negotiandi modus est praescripus §. 20. Quædam etiam res commerciis eorum sunt excema. §. 21. Aliter autem cogi ad vendendas merces non debent quam Christiani §. 22. Dispositio legis 2. C. de furtis circa res furtivas in Judæo obtinet in eoque etiam limitatio ejusdem §. 23. Privilegia Judæorum circa res furtivas improbantur & sicubi valeant limitantur §. 24. Ius Retractus Judæis non est concedendum inter Christianos, bene tamen inter se §. 25. Locatio Conduetio inter Christianos & Judæos est permissa & potest Christianus habitationem in domo, quam ipse inhabitat, Judæo locare, si sit ampla §. 26. Societas certæ cujusdam negotiationis cum Judæo intripotest §. 27. Mandatum inter Christianum & Judæum super rebus lictis subsistit §. 28. Judæi fures eadem pena qua Christiani affici debent non tamen a pedibus suspendendi, nisi ubi consuetudo sit contraria §. 29. Judæus Conversus de furto aliisque delictis ante Baptismum commissis puniri debet quandoque tamen Princeps agrariare potest §. 30. & 31. Judæo, qui ad locum supplicii adducitur non adjungendus est Rabbinus §. 32. spolians Judæum in via publica pena mortis est afficiendus §. 37. Judæos contumelias afficere

non

*non licet atque ipsis actio injuriarum contra Christianos compedit §. 34.*

§. I.

**C**ontrahimus quatuor modis: Re, Verbis, Literis & Consensu. Re contrahuntur Mutuum, Commodatum, Pignus, Depositum.

§. II.

Judæos posse mutuum, aliosque contractus cum Christianis inire, non dubitatur, cum, ut omnes pene contractus, ita in specie mutuum ex jure Gentium introductum sit, §. 2. *J. de J. N. G. & C.* formam tamen in contractibus ipsis jure Civili præscriptam servare tenentur. Ita Noribergæ Judæo subditis mutuare, aut alium cum iis contractum absque præscitu Magistratus inire non possunt, vid. privilegium apud Ayer. in process. sic in ordinazione *Politica Francofurt.* de anno 1577. tit. 20. §. 3. provisum, ut Judæi pecuniam Christianis mutuatam Germanice, quo tempore & quibus sub pignoribus crediderint, accurate conscribant.

§. III.

Mutuo ut plurimum conventiones de usuris adjici solent. Cum ergo usuræ mediae naturæ sint, ita, ut per se neque bonæ neque malæ, sed ex accidenti tales fiant, si scil. a pauperrimo, qui vix necessariis suis sufficit, rigorole petantur aut immodice postulentur, Judæi etiam licite Christianis sub usuris pecuniam dare possunt, cum Jure Divino illæ simpliciter & in totum interdictæ non sint, prout colligere est ex *Deuter.* 23. v. 19. & 20. cui suffragatur *Exod.* 22. v. 25. Deinde vivunt Judæi Jure Romanorum, quod usuras trientes, quincunces, semisses, bessales & centesimas pro circumstantiis personarum & negotiationum permittit l. 29. ff. de *Condict. Indeb.* & l. 8. *C. si certum per.* Accedunt no-

vissimæ Imperii Constitutiones & Recessus de Annis 1500.  
1530. 1548. 1570. & 1577. Tit. von Jüden, Wucher und  
wucherlichen Contracten. Textus itaque in Jure Divi-  
no & Canonico prohibitivos de immoderato scenore &  
iis usuris, quæ proximum mordent, exaudiri debere,  
concludunt ut plurimum cum Jctis Theologi.

## §. I. IV.

Quia vero nimium usurariæ pravitati deditum est  
Judeorum Genus, ita, ut in Republica Voraces Corvi  
& insatiabiles lupi appellantur, Imperatores circa Ju-  
dæos in Recessibus Imperii, in primis sub *reform. Polit.*  
*de anno 1548. Tit. Vom Jüden und ihren Wucher con-*  
*stituerunt: daß alle und jede Obrigkeit unter den Ju-*  
*dæn gesessen, nothwendiges und gebührlches Einse-*  
*hen thun, und solche billiche gleiche Ordnung fürneh-*  
*men sollen, damit ihnen und andern Unterthanen*  
*durch die Jüden und ihren ungöttlichen Wucher nicht*  
*so jämmerlich beschwehet und verderbet, und in dem*  
*gleichen Ordnungen mit den Fremden und Heimischen*  
*gehalten werde. Quod idem variis Constitutionibus*  
*repetitum ac confirmatum reperitur, in primis in Re-*  
*form. de anno 1577. Tit. 20. §. damit aber, sanctum est,*  
*daß die Jüden nicht mehr, denn fünfe vom 100. zu*  
*Wucher zunehmen erlaubt seyn soll.*

## §. V.

Non juvant Judæos privilegia, quæ pro se addu-  
cunt, in primis illud Caroli V. 3. April. 1544. Spiræ  
ipsiis datum, & a Rudolpho II. Uratislaviæ 1577. confir-  
matum, quo ipsi fuit concessum, aliquanto majores,  
quam Quincunces usuras exercere. Illud enim sub- &  
obrepitiis impetratum constat inde, quod rationes in  
eo adductæ sint falsæ, parum enim, vel nihil est, quod  
in Imperii censibus pluris conferant; Accedit, quod  
ubi.

ubique fere locorum, ubi vivunt, immobilia possident. Licet vero opicia illis non concedantur, negotiations tamen splendidissimas exercent, & mercando plus saepe lucrantur, quantum ne Christiani quidem ex mercimoniis commodi percipere possunt. Cessante igitur privilegii causa, ipsum cessare debet Privilegium. Taceo, quod per abusum dudum illud amiserint, verba enim illius etwas weiters und mehrers, certe de non immoderatis & mordacibus usuris, quales a Judæis exerceri solitum fuit, intelligenda erant. Quicquid tandem sit antiquiora eorum privilegia, publicis Imperii Recessibus, in primis *Francofurt. de anno 1577.* abrogata & sublata reperiuntur.

## §. VI.

Ad omnem autem occasionem graves usuras exercendi præripiendam præter dictos Recessus ubi vis ferme, ubi tolerantur, Judæis præscriptæ sunt leges, quomodo, & quibus mutuare debeant. Ita in ordinatione *Judeorum Hassiacæ.* §. Zum neundten, bene provisum est, daß kein Jüde einigen Unterhaen ohne Vorwissen der Beambten, noch auch einem Manne ohne seine Frau, oder auch einem Weib ohne ihres Mannes vorwissen etwas leihen, sendern dasselbige öffentlich thun und jederzeit unsere Beambte zunehmen, oder im Fall sie nicht vorhanden zubringen wären, Ihnen doch solches den nächsten anzeigen, damit dieselbe selbst sehen oder hören mögen, ob es richtig zugegangen &c. eadem fere cavitur in legibus *Mindæ Judæis præscriptis* §. 8. 9. ubi lege antecedente 7. de minoribus sancitum est: Es sollen die Juden keinem minderjährigen Söhnen oder Töchtern, so in ihrer Eltern oder Vormünder Gewalt sind, Geld leihen, und da solches wider Verbot geschehe, sol das ausgeliehene Geld E. E. Rath

zu Minden verfallen seyu. Idem sancitum animadvertere licet in *Reform. Francofurt.* p. 2. Tit. 12. §. 2. Porro lege *Mindensium* 16. providetur, ut Judæi, si summa pecunia mutuatae 10. thaleros excedat, debitum ab Actuario Civitatis in Protocollum redigi, & in judicio confirmari current. Aliæ plures leges in variis Judæorum ordinibus hinc inde extantibus videri possunt.

### §. VII.

Hic queritur: Num Princeps Judæis aliquanto maiores, quam quincunes usuras concedere possit? Resp. affirmando: Nam Imperator in *Reform. Politica de anno 1577. tit. 40.* von Jüden, postquam de Judæis aperte disposuerat, daß denen Jüden nicht mehr, denn fünfe vom hundert zu nehmen erlaubet seyn soll, per particulam adversativam, legem in hunc modum claudit: Doch soll hierdurch denen Chur-Fürsten, Fürsten und Ständen an Ihnen von uns habenden Regalien, Privilegiern und Gerechtigkeiten, Ordnungen zu machen, nichts præjudiciret oder genommen, sondern Ihnen vorbehalten seyn. Facit huic, quod pecuniae numeratae non in omnibus Regionibus sub iisdem usuris scenori dentur. §. 23. v. sed & pecunia J. de Aet. conferri meretur consilium *Casp. Antonii Tescauri*, apud Antonium Tessaurum decif. 57. Quia vero pii Principis est providere, ne subditorum facultates ex hauriantur, aut eorum sangvis sceneriorum fraudibus supponatur, neque Judæi ulla in re melioris conditionis esse debeant, quam Christiani, satius & aequitati magis consentaneum est, ut Princeps nullatenus eis ampliores, quam quincunes usuras concedat.

### §. VIII.

Sed anne Pontifex circa Judæos pro lubitu in usuris dispensare potest? Ita tenent Asseditores ipsius, qui plera-

pleraque summi Pontificis arbitrio permitunt, ita, ut contractum alias usurarium declarare possit in non usurarium, & omne jus etiam Divinum ampliare sine Principiis aut Imperatorum praescitu & consensu, vid. *Amadeus a Ponte apud Antonium Tessaurum Decis.* 57. Verum hypothesin hanc falsam esse, diu est demonstratum: Limitandum itaque existimo, quod Pontifex in iis terris, in quibus iura Regalia tanquam Dominus Territorialis tenet, juxta modum Principibus concessum dispensare possit, at ne immoderate fiant, nec Papa, nec Princeps concedere possunt.

## §. IX.

Sed anne statuta & consuetudines locorum quibus usuræ semisses permisæ sunt, comprehendent quoque Judeos? Resp. quod sic, cum enim Princeps per statutum vel consuetudinem introductam, sex pro centum, tanquam legitimum censem declarat, non video, quid obstat, quo minus & Judæi semisses consequi debeant, cum Judæi juris & statutorum capaces sint & concessum vel prohibitum intelligatur concessum vel prohibitum Judæis in eadem civitate habitantibus: *Surdus Consil.* 498. n. ii.

## §. X.

Ulterius si queratur, anne Judæus, si usuræ formem exæquent, eas ultra alterum tantum a Christiano petere possit? DD. distingvere solent, an Creditor quotannis usuras exegerit vel non, ita, ut illo casu tam diu currant usuræ, quam diu sors non fuerit exsoluta, posteriori casu negligentia Creditoris usurarum cursum fistere faciat. *Dieteric. de jure & statu Judæorum c. 8.* Ne a. id contingere possit, ubivis fere, ubi morantur, salutariter de eo prospectum est: *Ita in Ordinatione Judæorum Hassiacæ §. Zum eissten decimorum est: Dass die Jüden*

Juden die Schuld über zwey Jahr ungemahnt und ungesordert nicht anstehen lassen, denn da sie in solcher Zeit den Schulden nicht nachklagen würden, sol nach Ablauf der zweyhen Jahre alles Interesse verlohren und verwircket seyn, es sey denn Sache, daß die Bezahlung auf unterschiedliche Ziele, so sich über zwey Jahr lang erstrecken, gesetzet, oder der Schuldener nicht inner Landes, so soll in solchen Fäller nach Verfließung des letzten Ziels der Bezahlung, oder wann der Schuldner wieder zu Hause wäre, solche zwey Jahr angehen und gerechnet werden: Quod plane idem cautum reperitur in Refor. Francofurt. p. 2. tit. 12. §. 6. Ita quoque in Mindensium Iudaorum l. 12. ita catur: Es soll ein jeder Jude schuldig seyn innerhalb Jahres Frist seine aufgeliehene Gelder wieder einzutreiben und einzufordern, wiedrigen Falls soll nach Ausgang Jahres und Tags von Zeit der ersten Verpfändung anzurechnen, keine Zinsen mehr passiret, gegeben oder erkennet werden. Ubi ergo locorum hujusmodi salutares sanctiones introductæ sunt, strictim servandæ erunt.

## §. XI.

Ultimo adhuc quærere lubet: Num interveniente juramento Usuræ mordaces Judæis solvi debeant? Ex Canonistis id affirmant multi per c. cum contingat X. de jurejur. quod jurans super contractu invalido, illum observare teneatur, & juramentum actus alios jure Civili invalidos confirmet, & ad actionem producendam efficaces reddat, facere videtur huc c. 8. & 9. X. de Ju-rejur. Verum distingvendum inter actus, de quibus interponitur juramentum, si enim hi sint contra bonos mores, & jure prohibiti, ita, ut ipsi sint illiciti & nulli, Juramentum tanquam accessorium, principali corruente

ente subsistere non potest. Jam vero usuræ mordaces Jure Dinino & Canonico & Imperii Recessibus Judæis interdictæ sunt, ergo nec juramentum illis appositum, tanquam contra jura, & sic contra bonos mores præstitum cum efficacia erit obligatorium. arg. c. 8. de R. J. in 6. vid. Wolffg. Hilliger in causa Judeorum, Ob der Juden ihr Wucher zu dusden, n. 239. seqq.

### §. XII.

Circa Commodatum dubitari potest, num Christiani & Judæi sibi invicem commodare possint? quod conversatio cum Judæis sit prohibita. Verum, cum non omnis, sed familiaris tantum & nimia conversatio interdicta sit, per o. nullus eorum & omnes detineps 28. q. 1. & in necessitate Judæis subvenire teneamur vid. Baptif. Ferrettus in Consil. 381. vol. 2. n. 6. iisque indigentibus facienda sit Eleemosyna, sicut excommunicato Gratian. disc. Forens. tom. 4. cap. 68. n. 35. Utique recte, nisi alia interveniat circumstantia, Christiani & Judæi sibi invicem commodare queunt.

### §. XIII.

Depositum dividitur inter alia in depositum in specie ita dictum & in sequestrum. Hic queritur, num Judæus inter Christianos rei litigiosæ sequester constitui possit? Resp. cum res litigiosa fidei sequestri committatur, & litigantes fidem ipsius sequantur, unde etiam nomen suum sortitur, l. 10. de V. S. Judæi vero Christianorum insensissimi sint hostes, & universam vim in Christianorum incommoda dirigant, cuivis ratio svadet, ne quicquam Judeo custodiendum tradat, in primis tanquam sequestro, qui ut plurimum aliquam potestatem in re sibi tradita arrogare solet.

### §. XIV.

In securitatem Crediti Judæi plerumque sibi pignoribus & hypothecis prospiciunt, sub lege tamen

F

com-

commisoria id ipsis non licet. vid. Reform. Francof. de anno 1577. tit. 20. Von Juden. quia ipsum est pactum in pignore illicitum l. s. C. de paet. pignor. Caeterum varie variis in locis quoad pignora circa judæos cautum reperitur. Ita in Reform. Francof. part. 2. Von Contracten Tit. 12. Von Juden Schulden. §. 8. prohibita est Judæis mutuatio ad immobilia, aut quæ his accensentur, in tantum, ut nec immisionem desuper in Judicio consequi possint. In Hassia omnia pignora, quæ in securitate summæ 20. florenorum judæis dantur, coram Judicij Notario constitui necesse est. vid. Ordin. Hassiaca §. zum Zehenden. Item in eadem ordinatione §. zum 17. in f. ita providetur: Es soll kein Jude auff etwas Geld leihen, er habe sich denn zuvor erkundiget, woher das Unterpfand komme, und ob auch derjenige so Geld darauf entlehnen will, solches zu thun Macht habe eder nicht. Sie in Mindensum Judæorum lege 13. cævetur, ne judæi pignora post annum retineant, atque si debitor moram trahat, nec pignora luat, tenentur Magistrati id indicare; verba ipsius legis ita se habent: Da der Schuldner nach Außgang des Jahrs und Tages an wieder Einlösung seiner Pfand sāmig erfunden wird, soll der Jude von E. E. Rath der Stadt Minden begehren, die Wiedereinlösung innerhalb 4. Wochen zu thun, durch den Stadt- oder Gerichts-Diener, dem Bürger oder Bürgerin, auch Einwohner ansagen zu lassen. Geschicht solches nicht, sollen die Pfande durch die Stadt Obrigkeit bestimret und verkauft, oder demselben pro æstimo zugeschrieben, und was am Preis oder Wehrt dem Pfande, nach Bezahlung des Juden übrig ist, dem Schuldner abgesolget und bezahlt werden.

§. XV.

Bona quoque furtiva judæus in pignus accipiens tenetur ea Dominis restituere, non restituto pretio per l. 38. ff. de Condict. Indebir. Mascard. de prob. lib. 2. Concil. 231. n. 17. Et hinc in lege Mindens. Iudaorum 18. cavitur, Sollten gestohlene Sachen bey dem Jüden entweder verfegzt, oder gekauft befunden werden, sollen sie ohne Unterscheid, ob sie es gewußt, oder nicht gewußt, daß es gestohlen, die Sachen ohne Entgeld restituiiren und wieder abfolgen lassen, & lege anteced. 17. da silberne oder guldene Vocale oder andere Psände mit freimbden, und nicht der verpfändenden eigenen Wappen, Nahmen, Märcken, oder Inscriptionibus verfegzt würden so soll der Jüde, falls er die Wappen und Nahmen kennet, oder sich erkundigen kan, deme jenigen, derer Wappen oder Nahmen darauf besunden werden, anzeigen, oder richtige Vermeldung, wie Debitor zu dem freimbden Psande kommen, von dem Stadt- oder Gerichts-Secretario bey Verzeichnüs der Schuld mit ausschreiben lassen.

## §. XVI.

Contractibus accedere solent Fidejussores, ubi tenendum, Iudeos pro Christiano omnino fidejubere posse, quod nullibi prohibeantur, & obligari & conveniri possint, per l. 3. ff. de Fidej. Ut pari modo Christiani pro Iudeis fidejubent, dum id commercia sèpius efflagitant, & judæi quandoque dexterius, quam Christiani negotiantur.

## §. XVII.

Illud queri potest, num judæi beneficiis, quæ fiduciis data sunt, frui debeant? Atque ita existimo, cum nullibi ea ipsis admota sint, neque æquitas ipsis denegari possit, cum Jure Romanorum, quo ea ipsa

introduceda sunt, vivant. *I. 8. C. de Jud.* In primis autem beneficium ordinis ipsis adimi non potest, quod ex natura obligationis magis quam beneficio fidejussionis sit receptum. Fidejusor enim ex conventione ac promissione id demum debet, quod a Principali Debitorum exigi nequit: adeoque primum constare debet, quantum a Principali consequi possit Creditor, ad hoc, ut promissio locum habeat, *I. 16. ff. de verb. oblig.*

### §. XVIII.

Circa contrahendi modum, qui literis s. scriptura contingit, observandum, quod Judæi plerisque in locis obligationes suas & credita in libris suis non Hebraica, sed Germanica lingua conscribere teneantur, aut conscribi carent, cum alias in judiciis fides iis non tribuantur. *vid. Policey Ordnung zu Frankfurth de anno 1577. tit. 20. §. Und damit aller. Ordin. Hassia. §. Zum Be- henden, & in Mindensium Judæorum legibus, l. 15.*

### §. XIX.

Consensu contrahuntur Emissio Venditio, Locatio Conductio, Societas, Mandatum. Commercia celebrare Judæis esse licitum, extra dubitationis aleam est, per *I. 8. & 9. C. de Judæis.* cumque Christiani mancipii commercium Judeo specialiter prohibetur, *L. 1. C. ne Christian. mancipium &c.* alterius rei concessum intelligitur. Facit huc, quod reperiantur casus, quibus Judæis negotiandi usus cum Christianis prohibitus est, *cap. 14. X. de Judæis, & cap. post mirabilem X. de Usuris,* unde dicitur, quod regulariter ipsis cum Christianis contrahere liceat, cum privatio supponat Habitum. *vid. Barbos. ad cap. postulasse 14. X. de Judæis. Et Ludovic. Romani Consil. 489.*

### §. XX.

Uti vero ad præcavendas Judæorum fraudes in omni-

omnibus fere contractibus ipsis certus contrahenti modus est præscriptus, ita, salutariter cautum reperitur, quomodo negotiari debeant. *vid. Imperii Receff. de anno 1877. Tit. 20. von Jüden.* Constantinopoli negotiorum causa Judæos in urbe non habitare, sed exclusos brachio aquarum esse nec permitti eis, ut in urbem veniant ex *Crusi Turco Gracia lib. 7.* refert Dieteric. de *Statu Judeorum cap. 4. p. 74.* In Hessa superiori eatenus Judæis negotiari licitum est, quatenus vel in loco nulla adlunt opificum collegia, vel hæc ex singulari voluntate eos admittunt. *vid. die Hessische Jüden-Ordnung §. Zum sechsten.* Ita juxta nuperam *Judeorum ordinacionem Lipsiensem de anno 1682.* nemo Judæorum in nundinis toleratur, nisi, qui ad minimum cum 600. thaleris negotietur.

## §. XXI.

Certis quoque ex causis negotiations quarundam rerum Judæis interdicuntur, uti plurimis in locis, licet tolerentur, immobilia tamen sibi coëmtere non possunt, quod in Hessa dispositum, sed male observari conqueritur Dieterich de *Statu Judeorum cap. 4. pag. 69.* Mindæ, aliisque in locis pecora macstare & excisæ partes venum exponere prohibitum est *lege Mindensium Judeorum 8.* Ita Actiones & Obligationes Christianis vendere sub pena commissi non possunt, *vid. Reichs-Abschied zu Augspurg de anno 1557. §. diesen zu begegnen 79. & Policey-Ordnung zu Frankfurt de anno 1577. tit. 20. von Jüden §.* Es soll auch.

## §. XXII.

De cetero ad vendendas merces, aliter cogi non debent, quam Christiani, nec pretia illis sunt statuenda, cum justum sit suam cuique committere, *I. g. C. de Jüdeis. Ex causa tamen iis posse precia rerum vendendarum*

statui, dubium non est v. g. si forte modum mercandi excedant, per l. i. C. de Episc. Aud. sicut in Judæorum ordinatione Hassiaca §. zum sechsten ita providetur. Sie sollen ihre Wahren nicht vertheuern, noch dieselbe unsern Unterthanen höher aufdringen oder anschlagen, als sie sonst bey Christen gelten: Wie sie dann ingleichen die Wahren, so den Christen zuvorderst geschäget werden, eber nicht verkauffen sollen, es seyn dann ihnen dieselbige durch unsere Beambte auch geschäget worden.

## §. XXIII.

Circa res furtivas de Judæis in Recess. Imperii, & in primis in der Policy-Ordnung zu Frankfurth de anno 1577. zit. 20. §. 2. das sich &c. inque aliis Judæorum ordinationibus provisum est, ne eas coemant sed juxta constitutionem l. 2. C. de furtis agnitas sine refusione pretii restituere teneantur, & si cito distraxerint illas, pretium Domino, cui ablatæ sunt, restituant, cum vero scienter eas sibi acquisiverint, insuper in eos Magistratus severiori pena insurgat. Sanctionibus tamen illis non obstantibus, dictam constitutionem l. 2. C. de Jud. limitari quoque debere statuo in Judeo, qui rem furtivam hac protestatione in favorem Domini emit, ita, ut eandem Domino refuso pretio restituere promittat, juxta notata Gotthofredi ad l. 6. ff. de Capt.. & post lim. reverts: Non enim in legis, multo minus in Domini fraudem committit, qui nihil aliud agit, quam ut Jus Domini velit esse salvum, & propterea rem e manu furis quasi eripit, veroque Domino servat vid. Dieteric. cap. 2. pag. 77. Facit hue elegans textus in c. Rapina 14. q. 5. Rapinam emere non licet, nisi ea intentione, ut cui est ablata, reddatur, vid. Mindanus Consult. Saxonie. lib. 1. q. 163. n. 18. Carprov. p. 4. C. 39. Q. 7.

## §. XXIV.

## §. XXIV.

Privilegia autem a quibusdam Principibus Judeis specialiter concessa, ut res furtivas sibi pignoratas vel venditas retineant, usque dum veris Dominis pretium reddatur, non immerito reprehenduntur, quod materialm delinquendi præbeant. *vid. Mindan. Consulr. Saxon. lib. i. c. 163. n. 19.* Utut tamen ejusmodi statuta valent, & privilegia judæis sint concessa, locum tamen ea habere non debent contra Studiosos in Academia existentes, quorum famuli, si eorum libros aut vestes pignori dent, vel vendant Judæis tenentur sine ullo recepto pretio restituere *Menoch. de præsum lib. 5. præsum 29. n. 28. & seqq. Alciat. de præsum reg. 3. præf. 29. n. 6. & seqq.* propterea, quod tale statutum fieri non possit in præjudicium extraneorum *Panormit. in c. Clericus X. de foro Comper. n. 34.* quales astimantur scholares, nisi per decennium habitaverint *l. 2. C. de Incol.* Imo neque tunc domicilium contraxisse dici possunt, nisi animum habitandi habuerint. *Panormit. in c. fin. X. de Parochian. Menoch. lib. 5. præsumt. 29. n. 40. Alciat. d. l. & Minanus d. l. n. 21.*

## §. XXV.

De jure Retractus adhuc queritur, an Judæus ex vi statuti, quod jure vicinitatis Retractum admittit, rem a Christiano emtam possit retrahere? Ita videtur, quod statuto loci, in quo Judæi vivunt, comprehendantur, & pro Civibus habeantur, verum Jus hoc vicinitatis male applicatur ad Judæos, quibus hac ratione causa daretur inhiandi Christianorum bonis, eosque vicinos habere, nocivum est, uti Cato in libris de agricultura: *Malum vicinum æque ac morbum nocere, scribit.* Quin tamen Judæi inter se jure Retractus, tam ratione Consanguinitatis, quam vicinitatis, uti possint, dubium non est, in primis

mis accedente consensu Magistratus. vid. Gratian. *Disp. cept. Forens.* tom. 4. cap. 842. n. 87. Dieteric. de statu Ju-  
daeorum c. 4.

### §. XXVI.

**L**ocatio Conductio nullibi inter Christianos & Ju-  
dæos prohibita legitur, inde recte permittitur Judæis  
reditus Regales, aliaque jura conducere, per cap. pen. X.  
de *Judæis*, modo Locatur deputet Christianum ad exi-  
gendum ea, neque permittat, ut ipse Judæus neque per  
se, vel alium a se deputatum exigat. *Barbos.* add. c. pen-  
ult. X. de *Jud.* & *Panormit.* ibid. sed num Christianus  
habitationem in domo, quam ipse inhabitat, Judæo lo-  
care possit, dubitatur, quod cum ipsis habitare prohibi-  
tum sit. cap. 5. X. de *Judæis*, recte tamen locari posse,  
existimo, si domus ita sit ampla, ut habitatio Judæi se-  
parata esse possit, & absque scandalo ac injuria vicino-  
rum contingat. Sed quid? Si Judæus in conductam  
habitationem inducat Rabbinum, ut is Thora legat, an  
potest expelli? ita existimo, quod res sit pernicioſa &  
mali exempli. arg. l. 20. §. 5. ff. de *pánis* & l. 7. C. de  
probat.

### §. XXVII.

Societatem coire solemus aut universorum bono-  
rum, aut unius alicujus negotiationis. Utramque Ju-  
dæos inter se inire posse, non dubitatur, sed queritur,  
num Christianus illam cum Judæo inire possit? Uni-  
versalem omnium bonorum facile non posse, exinde  
liquet, quod magnam ea pariat familiaritatem, quæ  
Christiano cum Judæo interdicta est c. nullus eorum 28.  
q. 1. Specialis vero certæ alicujus negotiationis, tan-  
quam alijs contractus recte iniri potest, si talis sit, quæ  
tam Christiano, quam Judæo competat, nec nimiam  
con-

conversationem requirat, cum sit justum sua cuique committere. *I. g. C. de Judæis.*

§. XXVIII.

Mandatum denique inter Christianum & Judæum super rebus licitis & legitimis recte subsistit, cum contrahere & distrahere cum Judæo sit concessum, & qui libet suæ rei moderator & arbiter sit.

§. XXIX.

Ab obligationibus ex contractu devenimus ad obligationes ex Delicto, quod est vel publicum vel privatum. In furto circa Judæos observandum, quod furantes hodie eadem pena, qua Christiani offici debeant, cum enim Lex Mosaica forensis cum Politica sublata, neque pena quadrupli aut quintupli, ex *Exod. 22. v. 7.* ab eo, qui legis condenda potestatem habet, recepta sit, sequitur Judæos fures juri locorum, in quibus apprehenduntur, relictos & penam ordinaria, quæ ubivis fere laqueus est, puniendos esse: Suspendendi tamen a pedibus non sunt, quia iure communi Romanorum vivunt, & secundum *LL. Romanas* judicantur. Nullibi autem invenitur statutum, quod sur a pedibus suspendi debeat, nec tale quid in Judæis furibus specialiter sancitum reperiatur. Sine lege ergo loqui erubescendum est. Sin autem quodam in loco consuetudine ita receptum sit, aut alia quædam circumstantia id svedeat, quin recte a pedibus suspendi possint, dubium non est, *vid. Berlich. p. 5. Concl. 45. n. 40. Carpz. p. 4. Conf. 33. Def. 22.*

§. XXX.

Hic queri potest, num Judæus factus Christianus de furto aliquaque delictis ante Baptismum commissis a Magistratu puniri debeat? Negant multi *per text. in cap. gaudemus X. de Divortiis*, quod per Sacra menta cri-

G

mina

minia dimittantur & conversus per baptismum efficiatur novus homo, qui non debeat puniri ut vetus vid. C. Deinde dis<sup>t</sup>, 26. Sicut ergo misericors DEus Christiano effecto remittat crimen & penas, ita eodem modo potestas Politica remittere debeat. Accedere videtur favor Religionis, qui patet in Hæretico ad pœnam mortis condemnato, dum abjurando suam hæresin mortem evitare, & ad unitatem Ecclesiæ redire potest, cap. pen. X. de Hæretic. Adducunt quoque quod ignoscendum sit ei, qui sanguinem suum qualiter redemptum vult l. i. ff. de bonis eorum, qui mortem &c. multo magis ergo baptismum redimere ajunt, qui modus in se licitus & approbatus sit ab Ecclesia, vid. Baptif. Zilettus tom. 2. Consil. Crim. 31. 32. seqq.

### §. XXXI.

Contrarium tamen, ut juri magis consentaneum ut plurimum JCTi & Theologi cum Canonistis arripunt, omnes enim eo collimant, quod Baptismus tollat peccatum ejusque pœnam quoad DEum, non quoad Rempublicam, vid. Panormiz. ad c. de his 6. X. de accusat. Licet itaque Judæus conversus ab omnibus præteritis criminibus & peccatis absolutorum censeatur. Barbos. ad c. gaudemus X. de divorciis n. 23. accusari tamen nihilo minus potest in foro externo, & puniri pari modo ut Christianus, qui, si pœnitentia sua DEO reconciliatur, pœnam tamen fori externi ad vindictam publicam & Reipubl. satisfactionem luere tenetur. Barbos. d. l. cum nemo pœnitentia sua desinat esse nocens, l. 17. §. i. ff. de Aedil. Edi&. & l. 65. ff. de furt. nec flagitium oblitteretur pœnitentia l. 3. C. de Apostol. Adde, quod DEus tum demum delinquenti in totum remittat, cum is justitiæ humanæ satisficerit, & pœnam delicto debitam solverit, Textus autem in cap. pen. X. de Hæretic. pœnam hæreticis

reticis plane non remittit, eamque, quando de alio casu loquitur, potius imponit. Nec obstat l. i. ff. de bonis eorum, qui mortem &c. quæ civiliter de eo casu intelligenda, ubi id neque qualitati delicti, nec juri aperto officiat. Posse tamen Principem ex justa causa aggratiare Judæum conversum de delicto, non dubitatur, si tale sit, quod a Principe, quoad pœnam, remitti potest. *Vid. Dieder. de statu Judeorum cap. 8. p. 147.*

### §. XXXII.

Alia hic agitari potest quæstio num Judæo, qui propter delictum ad locum supplicii trahendus est, neque ad Christianam Religionem persuaderi potuit, adjungi debeat Rabcinus? Resp. quod non, cum in Imperio præter Evangelicam, Pontificiam & Reformatam Religionem nulla alia sit recepta, Judæi autem in superstitionibus eorum confirmandi non sint. Adjungendus potius Christianus Sacerdos, quod forte per DEI gratiam in extremo vitæ momento convertiposset.

### §. XXXIII.

Circa Rapinam queritur, num si Christianus spoliat Judæum in strata seu via publica juxta Constitutionem Carolinam pœna mortis sit afficiendus? Resp. affirmando, quod æque in Judæo ac Christiano locum habeat ratio sanctionis Caroline in *Ordin. Crim. art. 126.* quæ est violatio securitatis in via publica & provincia, quæ pacata & quieta esse debet l. 13. ff. de offic. Praesid. Cum ergo in spolio Judæi sancta viæ securitas æque violatur atque in Christiano, sequitur vel saltem ex paritate rationis, & quia in se generalis est lex Carolina, eandem pœnam infligendam esse, arg. l. 32. ff. ad L. Aquiliam.

### §. XXXIV.

Circa injuriam notandum, non licitum esse privato Judæos publice increpare & contumeliis afficer,

adeo, ut Judæis actio injuriarum propter illatam injuriam contra convitiantem Christianum competat. Etiam si enim Judæi conditionis suæ viles sunt homines, omniumque dignitatum incapaces, attamen exinde evitandi tumultus causa, privatis non concedendum, injurias & contumelias illis inferre, cum per eas publica pax & privata quies contra bonos mores turbari soleat. *Carpz. p. i. C. i. D. 19.* Deinde in actione injuriarum non tam veritas convitiū, quam libido injuriandi & convitiandi attenditur. Hinc, si quis citra causam & interesse publicum, explendat tantum suæ libidinis causa aliquem conviciatur, tum animus injuriandi tantum attenditur & veritas convitiū ipsum injuriātē a delicto injuriā ejusque pena non liberat. *per l. 3. C. de Offic. Reft. Prov. Gail. l. 2. obser. 99.* Denique nec ipsos infames, quales tamen Judæi legaliter non sunt, ab ipsa injuriarum actione intentanda prorsus excludere, ratio permittit, cum enim certi gradus infamiae sint, *arg. l. 27. C. de Inoff. Testam.* & ex diversis delictis infamia irrogetur *l. 1. ff. de his, qui notantur infamia,* is utique, cui ex uno delicto infamia irrogata est, praेprimit si ob aliud delictum ipsi imputetur, adversus injuriātē experiri poterit, quod ipsum etiam in Judæis obtineri, censendum est. *Vid. Kizel. in oratione Regali babendorum Jud. jure in fin.*

## C A P U T V.

### *De Juribus circa Judeorum actiones.*

**J**udæi actionibus Ius suum in judiciis persequi §. 1. & 2. Atque ad Juramentum admitti debent & obligantur §. 3. Tria genem Juramentorum apud Judeos usitata §. 4. Horrendæ solennitates & formulæ circa Judeorum Juramenta in

in judiciis §. 5. 6. 7. 8. & 9. Quæ recte illis ita proponuntur §. 10. Juramentum Judæi contractum illicitum nullatenus confirmat §. 11. An Juramentum suppletorium Judæus admitti non debet, si ei res sit cum Christiano §. 12. Limitatur §. 13. Et locum habet si causa agatur inter Judæos §. 14. Actio præjudicialis de partu agnoscendo inter Judæum Patrem & filium conversum locum habet §. 15. Actio præjudicialis est, quando quis dubitat an aliquis Christianus an Judæus sit §. 16. Judæus alium Judæum a Conversione avertens puniendus est §. 17. Judeorum uxoris prærogativam tacita hypothecæ in bonis Maritorum habent §. 18. Filiam Judæam Pater Conversus dotare non tenetur & contra Pater Judæus filia Conversæ illam debet §. 19. Ad Juramentum in litem Judæus contra Christianum non admittitur §. 20. Minoris Judæo competit beneficium Restitutionis in integrum §. 21. Privilegium competencyæ Judæis contra Christianos denegatur §. 22. Christianus & Judæus actiones sibi invicem judicialiter cedere possunt §. 23. Scutum Macedonianum Judæo non denegatur §. 24. Judæus potest esse procurator Christiani §. 25. Ad Cautionem Juratoriam non admittatur §. 26.

## §. I.

Judæi in causis, quæ ad forum & Leges ac jura pertinent, adire judicia, omnesque legibus conferre & excipere debent actiones I. 8. C. de Jud. si quod ergo jus ex Jure in Re habent, actionibus Realibus, & quidem ex Dominio in re corporali, Rei vindicatione, in incorporalibus, ut servitutibus, Actionibus confessoriis & Negatoriis jus suum persequi possunt. Quod actiones Prætoriae, Publiciana, Rescissoria, Pauliana & Hypothecaria inter Judæos locum habeant non tam queritur, quam an etiam contra Christianos eadem competant Judæis? atque ita existimo, quia quoad jus red-

dendum nulla inter Christianum & Judæum statuenda est differentia. *Surdus Decif.* 133. n. 3. Et æquitas ex qua prædictæ actiones descendunt in Jure Civili scripta Judæis denegari non debet *ut Cap. I.* dictum.

### §. II.

Pari modo, si quod jus habent ex jure ad Rem, Actionibus personalibus, sive ex jure Civili, sive ex Prætorio descendant, illud obtinere possunt.

### §. III.

De Actione in factum ex Jure jurando multum circa eos disceptatur; Quædam hinc prius circa Juramenta Judæorum prælibabimus. Dubitari enim potest, num Judæus ad Juramentum admitti debeat, & obligetur? Siquidem juramenti observantiam Canones sanciverunt, ne anima jurantis propter perjurium perdatur, quem effectum cessare dicunt in Judæo, de cuius anima actum sit, sive juramentum servet, sive non. *Vid. Surd. Conf. 122. Lud. Romani Conf. 155. n. 3. Setzer. de juramentis l. 2. c. 18. n. 1.* Verum, Judæum jurare posse, & omnino in conscientia obligari, atque ab ipso Deo de perjurio puniri, patet inde, quod per illum juret, qui hoc quod astleri debet, cognitum habet, & perfectissimus cordium scrutator est, cuius metu & reverentia a perjurio & fidei violatione deterretur. Cumque Deus severè comminetur neminem inultum evasurum, qui suo nomine abutatur, certe Judæus, si fallat, speciatim propterea suas luet penas, & justus ille Deus, quem suo perjurio non minima affecit contrumelia satis acer ei existet vindex per l. 2. C. de reb. cred. Accedit, quod Judæi ligentur dispositione Juris Civilis l. 8. C. de Jud. Lex autem Civilis mandat sacramenta puberum servari. *Auth. sacramenta Pub. C. si adv. vendit.* Denique nisi Judæi ad observantiam juramento tenerentur, melioris forent

forent conditionis, quam Christiani, qui juramenta servare tenentur, etiam si jurent per Deos alienos, quamvis enim ita jurando peccent, minus tamen malum est, per alienos Deos veraciter, quam per verum Deum fallaciter jurare c. movent te §. veruntamen 22. q. 1. Hinc licet Judæus per Christum & per Evangelium jurare non possit cum hoc in contemnum Christi facere dicatur, si tamen ita jurasset, cogi nihilominus debet ad observantiam juramenti vid. Glos. ad d. c. movet 22. q. 1. Maranta in speculo aureo p. 3. Judicii tela aggreditur n. 54.

## §. IV.

Ceterum genera Juramentorum hodierno tempore inter ipsos consveta, sunt ista, super Thiphilimis, qui, quid sint vid. apud. Anton. del Re de juramento calumniæ cap. 15. n. 175. sub excommunicatione Rabbini, Colbo, & super cap. 27. Devter. sub penis per Mosen dictatis non observantibus præceptum Legis summi Dei Ant. del Re d. l. Quoniam vero hujus Gentis tanta est malitia, ut omnia juramenta eis a Christianis delata spernant, tanquam delata a non habentibus deferendi potestatem, & ea tantum valida esse credant, quæ ab eorum Rabbinis deferuntur, ad terrorem eo majorem eorum conscientiis incutiendum, horrendæ solennitates & formulæ Juramentorum, quibus diræ execrationes pro Judicis arbitrio & causæ momento adjici solent, observatæ reperiuntur. Boxtorff. in Synagog. Judaic. c. 48. & Antonius del Re de juram. column. c. 5. n. 7.

## §. V.

Solennia circa juramentorum Judæi de Jure Saxonico veteri nota est, da muß der Jude stehen auf einer Schweinen Haut, die Junge hat gehabt binnen 14. Nächten, die Haut soll man ausschneiden bey den Rücken, und sie breiten auf die Zizen, da soll der Jude auf

auf stehen barfaß, und nichts anhaben dann ein Nieder Kleid und ein hären Tuch umb sich, also ist sein Recht. In Richtsteige Landrechts cap. 50. Buxtorff. in Synagog. Judaica cap. 48. ex Pfefferkornio sequentia solennia circa juramentum Judæorum ponit: Cum iuraturus est judæus, ei in primis V. Libri Mosis, & cornu hirci, quod in Synagogis ad sacra ipsorum inflari solet, proponuntur. Inde particula carnis bovinæ & piscis elixa, cum quatuor oleo affertur. Quibus appositis, Judæus nudo capite ita constituitur, ut odor horum in nares ejus ascendat, post quæ jubetur, ut dextram imponat libris Mosis, ubi decem præcepta legis præscripta sunt, atque ita præbit solennibus verbis, qui juramentum exiget: Ego juro per mangnum nomen DEI Schemhamphorasch, me nihil celatum de his, de quibus interrogabor, &c. Vid. Buxtorff. d. l. ubi Pfefferk. illud apud Judæos sanctissimum & fortissimum vinculum deprædicat.

## §. VI.

Quæ horrendæ solennitates in Ord. Cam. de anno 1538. sub Tit. Folgen die Eyde der Personen zum Cammer-Gerichte Rubric. Form und Ordnung des Juden-Eyds, Judæis in præstatione juramentorum sunt præscriptæ, satis late inde videri possunt. Formula autem ipsis proposita est sequens: Adonah, ein Schöpfer der Himmel und des Erdreichs, auch aller Ding, auch mein und der Menschen, so hier stehen, ich rufe dich an, durch deinen H. Nahmen, auf diese Zeit zu der Wahrheit. Als der H. mir zugesprochen hat, umb den, oder den Handel, so bin ich ihm darumb und daran nicht schuldig, oder pflichtig, und habe auch in diesem Handel keinerley Falschheit oder Unwahrheit gebraucht, sondern wie es verlaut hat umb Haupt Sach, Schuld

Schuld oder sonst, wie die Sach ist, also ist es wahr, ohne alles Gefährde, Arglist, Unverborglichkeit, also bitte ich mir Adonay zu helfen und zu bestätigen diese Wahrheit, wo ich aber nicht recht oder wahr habe an dieser Sache, sondern einige Unwahrheit, Falsch- oder Betrüglichkeit darinnen gebraucht, so sey ich Herren und verflucht ewiglich. Wo ich auch nicht wahr und recht hab in dieser Sach, daß mich den übergehe und verzehre das Feuer, das Sodoma und Gomorra übergang und alle die Flüche, die im Torah geschrieben stehen, und daß mir auch der wahre Gott, der Laub und Gras, und alle Ding geschaffen hat, nummermehr zu Hülff noch statten komme, in einigen meinen Sachen noch Nöthen, wo ich aber wahr und recht habe in dieser Sach, also helfe mir der wahre Gott Adonay!

### §. VII.

In inferiori Austria infra Onasum Judæus testo capite & apposita dextera manu ad pectus ita jura: Wie mir vorgehalten ist, und ich zu thun bescheiden bin, dem will ich also nachkommen, als mir der lebendige Gott helfe, der Himmel und Erden gemacht hat. Webner. in obs. Pract. lit. I. verb. Juden.

### §. VIII.

In Consistorio Principis Palatini, teste Wurmsero, forma sequentem in modum est concepta. Der Jude soll schweren bey dem lebendigen Gott, der Himmel und Erden geschaffen hat, und wo er Unrecht schweire, daß er vermaledeyet werde, und ihn die Erde verschlücke, wie Dathan und Abiram, und daß seine Frau eine Wittfrau, und seine Kinder Weysen werden. Setzer. lib. 3. cap. 2. n. 60. de juramentis.

### H

### §. IX.

## §. IX.

In Prætorio autem Lipsiensi hæc formula juramenti  
Judæorum in testimonii dicendis est usitata: Ich N. N.  
schwere bey dem Gott meiner Väter Abraham, Isaac  
und Jacob, der Himmel und Erden geschaffen, und  
das Gesetz Most auf den Berg Sinay gegeben hat,  
dass ich auf die Articul und Puncte, so mir wegen  
N. N. vorgehalten werden sollen, die rechte, reine  
und unverfälschte Wahrheit aussagen und berichten,  
und solches nicht unterlassen will, weder aus Freundschaft,  
Gescheneke, Gunst, oder einer andern Ursach  
wegen, so wahre mir Gott, der Gott meiner Väter  
Abraham, Isaac und Jacob, und sein heilig Gesetz  
helfe.

Formula autem Urphedæ talis observatur: Ich  
schwehre bey den Gott meiner Väter Abraham, Isaac  
und Jacob, der Himmel und Erden geschaffen, und  
das Gesetz Most auf dem Berge Sinay gegeben hat,  
einen rechten, freywilligen und unwidersprechlichen  
Uhrfrieden und End, meinem Gnädigsten Herrn, dem  
Churfürsten zu Sachsen n. E. E. Hochweisen Rath  
und dero Stadtgerichte albie zu Leipzig, allen Ihren  
Bürgern, allen Ihren Unterthanen und allen den-  
jenigen, die mich in die Haft und Gefängniß gebracht  
haben, dasselbe nicht zu rächnen, weder an Herren,  
noch am Knechten, weder durch mich, noch durch nie-  
mand nicht. Ich verschwære auch Ihrer Churf. Durchl.  
zu Sachsen gankes Land, und dero einverleibte Stif-  
ter die Zeit meines Lebens nicht mehr zu berühren.

Ich verschwære auch die Stadt Leipzig und E. E.  
Hochweisen Raths Weichbild in die N. Jahr nicht zu  
betreten noch zu berühren. Den Uhrfrieden und End,  
den ich alhier schwere, den wil ich iederzeit fest, fest,  
und

und unverbrüchlich halten, so wahr mir Gott, der Gott meiner Väter Abraham, Isaac und Jacob und sein H. Gesetz helfe.

## §. X.

Sed queritur hic, an hujusmodi jurandi formulæ Judæis recte ita proponantur? Cum enim per verum DEVUM, qui triunus est, jurandum sit, Judæi vero in hunc non credant, potius male DEVS coli, & Judæus in incredulitate confirmari magis, quam verus DEI cultus exerceri videtur. Verum distingendum hic est, inter cognitionem DEI generalem & eam, quæ specialis dicitur: Illam cum Judæi habeant, ejus intuitu ipsis juramentum recte & valide deferri potest, quia & hic cultus divinus est, sicuti *Paulus ad Rom. I.* Gentiles propter generalem DEI cognitionem a natura ipsis inditam non aliquando excusatum iri, testatur. *Vid. Diceric. de statu Judæorum cap. 6.*

## §. XI.

Alia restat quæstio, num juramentum Judæi contractum illicitum confirmet? Distingvit *Maranta in specul. jur. p. 3. Judicij tela aggreditur, n. 55. & seq.* Aut Judæum contrahere cum alio Judæo, & tunc contractum, quando de se est invalidus, juramento non firmari, quod vincula sacramentalia non cadant in Judæos; Aut Judæum contrahere cum Christiano, & tunc contractum illicitum firmari juramento, ne Christianum decipiat, & melioris conditionis sit Judæus, quam Christianus. Verum, cum conventio, quæ a lege ita reprobatur, ut ipso jure sit inefficax, ne naturalem quidem pariat obligationem, utique nec suapte natura hoc efficere poterit juramentum, quod ipso jure Canonico teste a privato præstitum juri Publico derogare non potest, *cap. si diligent. X. de foro competent., &c. veniens X. de jurejurand.*

*rānd.* Deinde iniquum foret, id servare, quod de jure est illicitum: Cum itaque juramentum non vinculum iniquitatis, sed rei legitimæ assertio esse debeat, de re illegitima præstitum, observari non debet, c. quanto X. de jurejur. & c. 12. X. de for. compet. Non obstant c. 25. X. de jurejur. c. 2. de jurej. in 6to. neque l. i. & Aurb. Sacra-  
menta puberum C. si aduersus vendition. omnes enim hi textus loquuntur dē invaliditate, quæ dependet ex conditione personæ, ubi juramentum facit, ut ea conditio non observatur, quod locum non habet si invaliditas actus veniat vel ex defēctū requisiti alicujus essentia-  
lis aut solennitatis, vel ex qualitate objecti. Schmen-  
dendorffer. in Annotat. ad Eckolt. ff. de jurejur. §. 12. Ma-  
nent inde inconclusa lex s. C. de LL. quod ea, quæ prohibi-  
tentur, si fuerint facta non solum inutilia, sed pro infectis  
etiam habeantur, ita, ut nec Sacra menta admittantur. Ex quibus patet juramentum Judæi nullum actum de jure Civili invalidum confirmare, sive agat cum Christiano,  
sive cum suæ sectæ homine.

## §. XII.

Hicce præmissis devenimus ad quæstionem hic in-  
primis pertinentem, num ad juramentū suppletorium  
admitti possit Judæus? Distinguendum est; Aut Judæo-  
res est cum Christiano, aut cum alio Judæo. Priori  
casu negatur, non propterea, quod circa Judæos ser-  
vandus sit rigor, sed potius, quod juramentum hoc fun-  
gatur vice testimoniū arg. l. f. C. de fideic. Notum autem,  
quod persona, quæ repellitur a testimonio, debeat quo-  
que repelliri a juramento suppletorio, atqui Judæi, tan-  
quam viles & sublestæ fidei homines contra Christianum  
regulariter testimonium perhibere non posseunt, l. 20.  
C. de Haret. prout latius deducetur infra. Accedit,  
quod non deferatur, nisi ei, qui omni exceptione ma-  
jor

jur sit, & nullum patiatur defectum *Surd. Conf. 122. n. 35.*  
*Setzer. de Jurament. lib. 4. cap. 12. n. 24. & seq.* qualis Ju-  
 dæus non est, *l. f. C. de Jud. & c. cum fit X. eod.* Addu-  
 ci etiam potest ratio odii, quo Judæi Christianos profe-  
 quuntur, qua ratione etiam repelluntur a ferendo te-  
 stimonio contra Christianos *l. 21. C. de Hæretic. vid. Sur-*  
*dus d. l. Gratian. Discept. Forens. tom. 5. cap. 842. n. 8. &*  
*seqq.* In Camera quidem imperiali contra dictum jus  
 commune judicatum, & Judæo jusjurandum tale in  
 causa *Hans Weinschenke*, contra *Berl. Juden dela-*  
*tum*, notat *Mynsinger. Centr. 5. Obser. 6.* sed stylum hunc  
 in causis Judæorum observari, se non vidisse, testatur  
*D. Stamm Assessor Cameræ*, uti ex eo refert *Dieteric. de*  
*statu Judæorum cap. 6.*

### §. XIII.

Dictam tamen Conclusionem limitare solent DD.  
 in causis, quando Judæus contra Christianum, de Ju-  
 daismo suspectum, aut Judaicam pravitatem manife-  
 starentem desiderat in supplementum jurare, quo-  
 niam tunc ejusmodi farine Christianus quoad istud  
 privilegium pro Judæo habetur. *Gratian. tom. 5. c. 842.*  
*n. 7.* Concedi item solet, si Judæus plusquam semiple-  
 ne probaverit. *Berlich. p. 1. Concl. 54. n. 67.* *Menoch. de*  
*arbitr. jud. lib. 2. c. 190. 50.* ubi cas. præced. 189. n. d. docet,  
 si Christianus Judæo jusjurandum secundum Judæorum  
 formulam deferat, non posse Judæum recusando jus-  
 jurandum hoc referre Christiano, ut sub eadem con-  
 ceptione & formula jurer, quia & si conceptio illa Ju-  
 dæo conveniat, non tamen Christiano convenit.

### §. XIV.

Posteriori casu, cum inter duos Judæos causa agi-  
 tur, quin tunc recte suppleriorum deferri possit Judæo,

H 3

inde

inde dubitari non debet, quod Hæretius contra hæreticum testis esse possit. l. 12. de hæret. &c. si hæreticus 2. q. 7. Neque adsit illud odium, quod adest contra Christianum, inde nihil obstat, cur suppletorium inter ipsos admitti non debeat. Steph. Gratiani dist. forens. tom. 5. cap. 842. n. 9. & seqq.

### §. XV.

Circa actionem præjudicialem de partu agnoscendo queritur, an illa inter Judæum patrem & filium Christianum factum locum habeat & puto, quod sic, quia conversio interveniens juri naturæ, in quo ea se radicat, arg. l. 12. §. 3. ff. de J. & J. derogare non potest, unde cum naturali ratione Parens a filio ali debeat. l. 5. §. 1. & 16. ff. de agnosc. & al. lib. potest Judæus parens, si in paupertatem devenerit, hac ratione a Christiano filio negante se esse filium alimenta consequi, per jura adducta, ut econtra filius conversus petere potest se declarari filium, ut pater Judæus eum agnoscat filium, quo facto pater Judæus filio converso non tantum ad alimenta, sed etiam ad donationem propter nuptias & domum constituendam tenetur, per l. 19. ff. de R. N. l. f. vers. neque enim leges, C. de dotis promiss.

### §. XVI.

Ad actiones præjudiciales referri etiam potest ea, per quam queritur, an aliquis Christianus an Judæus sit, in multis enim causis, ut in matrimonialibus, aliisque de hoc statu cognosci debet prius, quam super re principali pronuncietur arg. l. 4. & 5. C. de ord. Cognit.

### §. XVII.

Inter actiones in duplum est actio servi corrupti, ad quam interpretative extendi potest casus, quando Judæus Judæum blanditiis, vel alio modo a proposito fidei nostræ suscipienda avertit, quod injuriam faciat fidei

fidei Christianæ. *Christinæus v. 2. Decis. 42. n. 5.* Qui vero Judæus syasit Christiano vel Catechumeno, ut transieret ad Judaismum capite plecti debet. *arg. l. 16. C. de Jud. & l. 1. C. ne Jud. Christianum mancip.*

### §. XVIII.

Ad actiones bonæ fidei refertur actio pro dote ubi tenendum Judæorum uxores juxta l. 12. *C. qui potior. in pign. prærogativam tacitæ hypothecæ in ipsorum maritorum bonis instar Christianarum habere, prout id frequens DD. pronunciatum asseverat Svatetz. in Thes. Commun. opin. lit. J. verb. Jud. n. 22.*

### §. XIX.

Filiam vero Pater Judæus conversus dotare non tenetur, si filia permaneat Judæa *per gloss. ad l. 9. ff. de in rem vers. & l. 19. C. de bæret.* Contra vero Pater Judæus omnino tenetur, si filia ad Christianam fidem transierit, ne propter divini amoris electionem paterna provisio ne defraudetur. *arg. l. 19. C. de Hæreticis.*

### §. XX.

In actionibus arbitrariis saepe eo res devenit, ut juramentum in item præstari debeat. Ubi sciendum, Judæum ab illo præstanto arceri, si agatur contra Christianum, verisimile enim est illum peieraturum propter odium, quod Judæo contra Christianum innatum est, & rationes, quæ *supra in §. 12. circa juramentum Suppletorium sunt adductæ.* Hinc quamvis alias re deposita deperdita Christianus contra depositarium etiam Judæum super aestimatione in item jurare possit, probatio deficiente *per l. 1. §. 26. ff. deposit.* id tamen non permetti in Judæo deponenti scribit Menoch. lib. 2. arbitr. Cas. 208. n. 43. Ita, si peregrinans Judæus Valisiam clausam dederit Hospiti vel Nautæ, qui eam apertam redideret, non potest in item jurare de his, quæ sibi ex

Valisia

Valisia sublata fuisse dicit, sed id probare tenetur. vid.  
Babt. Plotus de in lit. jurando §. 10. n. 7. pag. 31.

## §. XXI.

Minoribus ex multis causis succurri solet per restitutionem in integrum, de qua quæritur: Num hoc beneficium minori etiam Judæo sit concedendum? Resp. quod sic, quia Prætor æquitatem naturalem secutus, tutelam minorum suscepit ex ea ratione, quod fragile & infirmum sit hujus etatis consilium, i. e. §. 1. ff. de minoribus, quæ ratio quia in Judæo minori etiam locum habet, restituendus erit, sicut Christianus, si ex actu, quem celebravit, reperiatur lœsus Surdus Conf. 122. n. 13.

## §. XXII.

In actionibus, quibus non solidum consequimur, concedi solet privilegium competentiæ, quod invicem inter Judæos locum habere posse dubitationem adeo non patitur. Contra Christianos tamen id concedendum non existimo, quia certis tantummodo personis ex honestate, partim ex miseratione, aut alia aliqua speciali æquitate id reperitur tributum, vid. Meyer. in Colleg. Argent. ff. de re jud. n. 34. Jam odiosi beneficiis ex affectione concessis non includuntur, arg. l. 88. §. 6. ff. de leg. 9. Rolandus a Valle vol. 4. Conf. 35. n. 13. Judæi autem sunt odiosi & viles homines l. fin. C. de Jud. diarium ergo beneficium ipsis concedi non debet, & specialiter concluditur de cessione bonorum, quod ea Judæo contra Christianum non competit, quia illa potissimum ex commiseratione indulgetur: Erga Judæum autem hoc in punto se misericordem exhibere foret ansam ei præbere grassandi in bona Christianorum, quibus inhiant, dum Judæorum proprium est, Christianum fallere. Cum itaque jura dolosis non patrocinentur, l. i. ff. de de dolo mali, nec malitus hominum indulgendum

dum l. 83. ff. de R. V. Sed potius indignus legis beneficio habendus sit, qui in legem committit, l. 37. inf. ff. de min. dicendum utique videtur, Judæos beneficio cessionis frui non debere, sed fraudatores eos carceribus mancipari utilissimum & necessarium esse.

### §. XXIII.

Quæritur, num Judæus actionem adversus Christianum alii Christiano, vel contra Christianus Judæo actionem cedere possit? Resp. si ejusmodi cessiones in judicio celebrentur, neque suspicio sit de usuraria pravitate, dubium non esse, quin invicem valide cedere possint, cum cessiones ad contractus & negotiations pertineant. Non obstat *Recess. Imperii de anno 1551.* §. diesen zu begegnen, verb. Es soll kein Jude, als Schuldgläubiger einen andern Christen seine Actionsforderung in einige Wege cediren, oder einigs Contracts-Weise zustellen, bey Verlust derselben Forderung. De Contractibus enim solum usurariis, & extrajudicialiter initis, ibidem agi ex verbis præcedentibus & seqq. dicti Recessus liquet, vid. *Carpz. p. 2. Const. 30. Def. 45.*

### §. XXIV.

Quicunque cum filiofamilias contrahit, non solum ipsum, sed Patrem etiam obligatum habet, exceptio est in *Sæto Macedoniano*, quod Judæo denegandum non esse, exinde colligitur, quod illud in odium sceneriorum sit introductum, & ad effectum Patriæ potestatis, quam Judæi in filios habent, pertineat, ne filiusfamilias contrahat mutuum. Facit huc quoque ratio, ne & Judæi filiusfamilias ære alieno obrati in Paren-  
tum necem machinentur, & ante diem Patrios in annos inquirant.

### I

### §. XXV.

## §. XXV.

Cum vero quis non ipse, sed per procuratorem agit, queritur, num Judæus possit esse Procurator Christiani? Et quod ad negotia extrajudicialia esse possit, vel propterea dubitari non potest, quod licitum sit cum Judæis contrahere & distrahere, *i. e. C. de Jud.* Quod vero etiam in judicio non tantum pro se, sed pro Christiano etiam intervenire, ejusque nomine procurare possit, docet *Alexand. vol. 6. Conf. 99. n. 17.* Quod Procuratoris officium sit onus arg. *l. 34. C. de Decurionib.* In Camera tamen Procuratorem Judæum, nomine Christiani constitui non posse, testatur *Mynsing. cent. 2. obs. 13.*

## §. XXVI.

In Judicio quandoque admittitur cautio Juratoria, ad quam non admittendus Judæus est, quia offerens eam debet esse persona vitae integritate conspicua & probatae existimationis. *Gail. lib. 1. observ. 148. n. 6.*

## C A P U T VI.

*De Juribus circa Iudeorum Judicia.*

**J**udæi in ingressu litis juramentum Calumniæ præstant §. 1. Testes in judicio esse possunt, si inter se litigant, secus in causis Christianorum §. 2. Excipiuntur tamen causas, quibus recipiuntur §. 3. Non possunt esse judges neque inter Christianos §. 4. Neque inter se §. 5. Arbitri tamen esse non prohibentur §. 6. Neophyti a publicis officiis non sunt arcendi §. 7. Forum Iudeorum est secularis potestas §. 8.

## §. I.

**I**N judiciis Iudei, si item movere intendunt, juramentum Calumniæ & malitiæ juxta illorum ritum & formam præstare tenentur. *Sefer. lib. 3. cap. 3. n. 59. Antonius de Re de Juram. Calumniæ cap. 15. n. 171. & seqq.*

## §. II.

## §. II.

Deinde id, in quo fundant intentionem suam, probare tenentur, quod sit vel Instrumentis, vel Testibus. Ubi circa eos queritur, num Testes in judicio esse possint? Quod decidit *I. 21. C. de Hæretic.* distingvendo, num inter se, an vero inter Christianos agitetur controversia. Priori casu ipsis utique alias suæ sectæ testes producere conceditur, nil enim Judæus Judæo, nil Catilina Cethego objicit, *gl. ad I. 79. ff. solut. matrim.* & arg. *I. 11. C. de inoff. testam.* Posteriori autem casu in causis Christianorum repelluntur a ferendo testimonio, qui enim divina testimonia non sequuntur, pondus humani testimonii perdidunt, *c. ipsa Pietas 23. q. 4.* Deinde, quia usurarij & viles personæ sunt, quæ a testimonio dicendo arcentur, *I. 3. §. 5. ff. de Testibus.* Accedit odium, quo Christianos prosequuntur, cuius ratione contra Christianum testificari, ipsis non permittitur, *vid. Zilettus in tract. de Testibus ex Crotto, part. 4. n. 136.* Quod DD. quidam amplius deducunt ad Judæum nuper ad fidem conversum, ex simili de inimico reconciliato, qui testis esse prohibetur *c. accusator 3. q. 5.* Videlicet tamen odium in Judæo esse purgatum baptisma te sponte ab illo suscepito, ideo cessante causa odii, cessat odium, & propterea eum a testimonio non rejicendum esse puto, quod Judæus Christianus factus non sit contempnendus, sed commendandus per *Alberic. de Rosate in Dictionario, in verbo Judæus tertio.* Aliud dicendum de eo Judæo converso, qui uxorem vel filios in Judaica superstitione habet, quos ad Christianam religionem traducere negligit, arguitur enim tum amor & affectus erga Judaismum, eumque adhuc approbare presumitur.

## §. III.

Plures tamen casus excipiuntur, quibus Judæorum testimonia in judicio recipiuntur, & I. quidem in genere Judæos adimitti testes non dubitatur, quando per alios testes idoneos actus quidam probari non potest, vel ex natura negotii plures testes intervenire non potuerunt, tunc enim in subsidium admittitur probatio per testes alias minus habiles & criminosos. *Abbas in cap. fin. X. de Testib. cogend. II.* quando Christianus consentit in Judæum, ut contra se in testimoniū producatur, cum enim prohibitio illa emanaverit favore Christiani, *Zilettus in tract. de Testi. ex Job. Crotto p. 4. n. 139.* *Felinus ad c. 19. X. de Judais*, favori huic pro se introducto Christianus renunciare potest, *per l. pen. C. de patetis.* Hic queritur, si Christianus contra se patitur produci testimoniū Judæum, nihil protestando vel excipiendo, an intelligatur consentire in eum? *Baldus ad l. 17. C. de Testibus* distinguit, si exceptio repulsiva personæ sit introducta favore Tacentis, ita, ut per Consensum tolli possit, uti exceptio inimicitiae domesticitatis, permittentem intelligi assentiri, secus si exceptio non sit introducta favore tacentis, sed odio ipsius testis, uti in exceptione excommunicationis & Banni, inque earum numerum *Menoch. lib. 2. de arbitr. cas. 239. n. 5.* refert in habilitatem Judæorum, quam partium consensu tolli non posse ait: Verum, quia Testimonii ferendi prohibitio potius in favorem Christiani facta est, cui Christianus renunciare potest, uti jam diximus, videtur is utique in personam Judæi tacite consentire, *vid. Marsard. de prob. vol. 1. Concl. 944. n. 8.* III. si Judæorum Testimonia fuerint adminiculata & coadjuventur ab aliis integris

tegris testibus Christianis, *Barbos.* ad cap. 21. X. de Test. licet enim Judæus pro se non sit habilis ad testificandum nec ei credatur, depositio tamen ejus Judici semper quale facit indicium, arg. l. 20. ff. de quæstion. quod si deinde ex aliis adminiculis confirmetur, atque ex aliorum omni exceptione majorum testimoniis corroboretur ita, ut testificans Judæus non falsa dicturus presumi possit, certe tunc inhabilitatem suæ personæ suppleri, tenendum est. Ita, si Judæus in causa matrimonii inter Christianos vertente ab aliis integris testibus in contestem vocetur, recte testificari potest, prout Venetiis ita consuluit *Gigas in Tract. de Crim. læse Majest. lib. 2.* *Rubr.* quomodo, & per quos testes crimen læse Majestatis probetur cap. 10. n. 3. IV. In causis gravioribus, ut est Crimen Hæresis, læse Majestatis, & hujusmodi cap. 13. & 5. X. de Hæret. in 6to. qui textus, licet loquantur tantum de crimine hæresis, idem tamen est dicendum de crimine læse Majestatis cum hæc crimina inter se æquiperantur, cap. 10. X. de Hæret. & gloss. in l. 4. §. 4. C. de Hæret. vid. *Mascard.* vol. 1. Conc. 264. n. 13. & *Gigas de crim. læse Majest. lib. 2.* *Rubr.* quomodo per quos crimen læse Majestatis probetur. q. 10. n. 4. V. Contra Christianos infames, usurarios, aliasque ejus farinæ, Judei produci videntur admittendi, per gloss. in l. 3. §. in f. ff. de Testibus ubi tamen alias circumstantias concurrere debere volunt DD. vid. *Ostav. Cacheranus Decis.* 72. §. 6. VI. plurimis ex causis admitti quoque cum tortura debere docet *Mascard.* vol. 3. Concl. 1356. n. 57. Tandem eos recipi posse pro Christiano contra Judæum seu alium hæreticum evincit textus in c. se hæreticus 2. q. 7. quia haecenus cessat præsumtio, ne propter odium dicat falsum. Quod vero hoc referant casum, quando Judæus testificari debet pro Christiano contra alium Christianum,

quod sicut par affectio amoveat suspicionem *I. 67. §. 5.*  
*ff. de Ritu Nupt.* Ita par causa odii tollat suspicionem,  
 ut contrariorum eadem sit ratio, tolerandum non est,  
 quia expresse contrariantur *I. 21. C. de hæret.* & c. si hæ-  
 reticus *2. q. 7.* ubi aperte interdicitur Judæis testimoni-  
 um ferre, si utraque pars sit orthodoxa, quæ litigat.  
 Hinc, si quibusdam in locis consuetudo in contrarium  
 sit recepta, referenda ea est cum *Diererico de statu Ju-*  
*dæorum cap. 7.* ad abusus & corruptelas, quæ cum aliis  
 circa personas Judæorum emendatione indigent.

## §. IV.

Judicis officium autem Judæi plane subire non  
 possunt, *I. f. C. de Jud.* ubi ratio datur, ne acquisiti sibi  
 officii autoritate muniti adversus Christianos veluti in-  
 sultantes fidei nostræ judicandi vel pronunciandi habe-  
 ant potestatem. Nimis quoque juxta *cap. cum sit 16.*  
*X. de Judæis,* absurdum foret, ut blasphemus Christi in  
 Christianos vim potestatis exerceat, hinc & is, qui eis  
 officium commiserit per provinciale concilium, præ-  
 missa districione, qua convenit jure Canonico, com-  
 pesci debet, *d. c. vid. Dist. 54. c. 14.* Quod ulterius am-  
 pliatur, ut nec Judæus tanquam delegatus ab alio judi-  
 ce possit apud Christianos officium aliquod publicum  
 exercere *Barbos. ad I. f. C. de Judæis.*

## §. V.

Sed queritur, num inter ipsos Judices constitui  
 possint, ita, ut lites eorum a suis judicibus dirimantur?  
 Ita vult Falinus *ad cap. cum sit X. de Judæis,* aliquique, moti  
 per rex. *I. 15. C. de Judæis.* Verum rectius negatur,  
 cum ipsis per Vespasianum & Titum sceptrum, Rex,  
 Politia, Magistratus, lex & omnia adempta sint, adeo,  
 ut cum Judæorum populus ante Regno clarissimus, at-  
 que ob *εὐθυμίαν* politicam præ aliis Gentibus rite insti-  
 tutam

tutam sapientissimus esset, nunc prorsus desierit esse populus, & dissipatus in omni terrarum regione vive-re cogatur. *Dieteric. de statu Judæorum cap. 1.* & *pr. 2.* Licit vero Leges inter ipsos dignitates concedere vide-antur, v. g. Senioratum re vera tamen non conferunt, non secus, ac si in Collegio quodam opificum constitu-untur Seniores, qui propterea nulla aliqua dignitate publica frui dicuntur, sed Collegio magis conservando præsunt, respectu autem Reipublicæ & eorum, quæ spectant Judicia & Jurisdictionem, non aestimantur plu-ris, quam alii ex Collegio. Ita, cum in *l. 17. C. de Jud.* primates Judæorum jubentur aurum coronarium colli-gere, nulla inde dignitas seu potestas elici potest. Pari modo cum in *l. 15. C. eod.* dicitur: Si qua inter Christia-nos & Judæos sit contentio, non a Senioribus Judæo-rum, sed ab ordinariis judicibus dirimatur, non inde, si inter Judæos solos sit controversia, Jurisdictio iis vin-dicari potest, si quidem Imperatores ad casum ipsis propositum rescripserunt, eumque ad dispositionem com-munem restrinxerunt, sine dubio relinquentes alios casus dispositioni eidem juxta *l. 8. C. de Jud.* quæ vult ut in causis, quæ tam ad superstitionem eorum, quam ad fo-rum & LL. & jura pertinent, adeant solenni more ju-dicia, omnesque Romanis LL. conferant actiones. In-de sequitur, quod inter se judicia constituere non pos-sint, sed coram Judice Christiano litigare teneantur, prout ubivis salubriter provisum est, atque ille Judæus, nomine Jodocus von Roschain, der sich einen Regierer gemeiner Judischheit geschrieben, in V. marcas auri con-demnatus est. *Webner. in obs. Pract. Lit. J. von Juden.*

## §. VI.

Illud tamen sciendum, Judæos ex communi pa-tione inter se invicem de negotio aliquo Civili Judi-cium

cium ad similitudinem arbitrorum sortiri posse l. 8. vers.  
si quis C. de Jud. quod idem innuit l. 10. C. Theod. eod.  
Quemadmodum & Laici in negotio Civili in Episco-  
puim quasi arbitrum & cognitorem compromittere pos-  
sunt l. 7. C. de Episc. Audi.

### §. VII.

Utrum autem Neophyti ad publica officia promo-  
veri debeant, disputatur: In Regno Portugalliae eos ad  
nulla admittit, & in habiles ad Canonicas & Dignita-  
tes in cathedralibus intra septimam generationem esse,  
testatur Barbosa *ad cap. 18. X. de Jud.* In regno vero  
Castellae non prohiberi eos ad officia publica promove-  
ri, indicat Barbos. *ibid. n. 6.* & recte eos admitti posse,  
evincit *cap. Eam te 7. X. de Rescript.*, ubi Pontifex Episco-  
po rescribit, ut Neophyton, quod Judæus extiterit ad  
conferendam præbendam, & in Canonicum recipien-  
dum, deditnari non debeat. Cum igitur talis non re-  
pellatur ab ordinibus & beneficiis Ecclesiasticis, multo  
minus debet arceri a secularibus, *Felin. in cap. cum sit X.*  
*de Jud.* Accedit, quod, qui Christianam fidem ample-  
xi sunt, vilipendio haberi non debeant, sed potius ho-  
norandi sint, ut tradit *Abbas ad cap. Eam te 7. X. de Re-*  
*script.*: Hinc si quidam eorum idonei sint, sine distin-  
ctione, sicut Christianos ad Dignitates & officia promo-  
veri eos posse vult *Paul. Parisi Vol. 4. Conf. 2. n. 211. seqq.*

### §. VIII.

Judæis ita demta Jurisdictione, oritur quæstio:  
Quinam Magistratus de eorum personis & causis co-  
gnoscere debeat? Distinguere solent ut plurimum in-  
ter causas seculares & spirituales. Quoad illas tribuitur  
Jurisdictione in Judæos seculari potestati, quoad has Papa  
eos pro stabilienda sua Hierarchia in suum forum tra-  
hit, propterea, quod Deus unum pastorem, atque unum  
ovile

ovile constituerit, atque inde Judæi, ceterique infideles velint nolint sint de illo ovili *Marta de Jurisdictione lib. 4. cent. 2. cas. 67.* Verum licet Pontifici Pastoratum concedamus, nullam tamē Jurisdictionem in oves nondum in ovile redactas sibi vindicare potest, siquidem Judæi ut Judæi, non subsunt Episcopo sed Domino temporali & de ejus, non de Ecclesiastica sunt Jurisdictione. *Surdus Conf. 497. n. 10. & seq. Alex vol. 6. Conf. 6. n. 5.* Deinde cum Judæi sint de alio grege, quam quidem Christiani, quid ad nos, de his, qui foris sunt judicare? *cap. gaudemus 8. X. de Divort.* Atque idcirco Ecclesia de iis, quæ extra eam sunt, sollicita non est *Marant. in spec. p. 4. dist. 11. n. 67.* Foret quoque cognitio Judicis Ecclesiastici frustratoria, cum ille qua talis non aliam penam quam spiritualem & Canonicam imponere possit, quæ in Judæum non cadit, nec ulla excommunicatio, quæ tamen gravissima Canonum pena, in eo locum habet, dum jamdum est extra Ecclesiam. Non obst. *c. 14. X. de Jud.* agitur enim de eo casu, ubi Archi-Episcopus insimul habet temporalem jurisdictionem, cuius vigore de causa cognoscere potest. Forum itaque suum Judæi absolute coram seculari potestate sortiuntur, & delinquentes ab illa sunt coercendi, etiam in delictis, quæ alias ad forum Ecclesiasticum pertinent. Ita licet crimen Blasphemiæ ad illud Pontifices trahant, in Judæo tamen alia res est, qui blasphemans ad seculare forum pertinet, ibique puniri debet. *cap. in nonnullos 15. X. de Jud. Alexander Conf. 99. n. 15. in 6to & Conf. 33. ibid. Svarez in Thesaur. comm. opin. lib. 1. §. 209. Berlieb. p. 4. Concl. 2. n. 22. segg. sic Guido Papa qu. 63. de Jud. statuit, quod a seculari Judice puniendus veniat, qui ante imaginem Beatiss. Marie in contemptum ejus turpem sonum fecerit. Ita Oldradus Conf. 38. vult Judæus, qui agnum crucifigunt, in crucem conspunt, aut illam in opprobrium fidei nostræ calcant, puniria solo seculari debere.* *Surdus Conf. 98. n. 7. & seqq.*

K

CAPVT

## CAPUT VII.

*De Juribus circa Judæorum delicta Publica.*

**J**udæi non sunt Hæretici §. 1. Eorum blasphemiae pro arbitrio  
Judicis puniendæ sunt §. 2. Diebus Dominicæ Passionis in pu-  
blicum prodire non debent atque die Parasceves ostia & fenestras  
clausas habere tenentur §. 3. Judæus non est admittendus ad ac-  
cusandum Christianum de crimine læsa Majestatis §. 4. Denun-  
ciare tamen potest §. 5. Pænitentia adulterorum apud Judæos  
§. 6. Judæi adulteri pæna gladii sunt officiendi §. 7. Judæus so-  
litus cum soluta Christiana rem habens extraordinaria pæna pro  
arbitrio judicis punitur §. 8. Occidens Judæum tenetur legis Cor-  
neliæ pæna §. 9. Crimen Assassinii non committit, qui præmio  
convento Judæum interfici mandat §. 10. Moderamine incul-  
patæ tutelæ Judæus se defendere potest, licet Christianum inter-  
ficerit §. 11. Crimen falsi committit Judæus, si dolo se profitea-  
tur Christianum §. 12. Epilog. §. 13.

## §. I.

**L**æsa Majestatis crimen duplex est, unum, quo Majestas  
Humana, alterum, quo Divina læditur, quod variis  
modis contingit, in primis hæresi & Blasphemia: Ubi de  
hæresi notandum: Judæos inter Hæreticos recenserî non  
posse, cum Hæreticus juxta Carpov. in Prax. Crim. p. 1. q. 44.  
sit persona intra Ecclesiæ Gremium, quæ articulum ali-  
quem fidei pertinaciter & malitiose non sine Ecclesiæ of-  
fendiculo oppugnat. Cum ergo nomen hæretici cives &  
indigenas Ecclesiæ corruptentes doctrinam ejus aut dese-  
rentes denotet, Judæi, qui non sunt fidei nostræ, neque  
unquam in Ecclesia nostra fuerunt, nec discesserunt, pro-  
prie hæretici dici nequeunt. Wessenbec. in Paratit. C. de hæ-  
ret. n. 4. Hinc etiam diversis in titulis de hæreticis separa-  
tum & de Judæis & Paganis in Codice agi videmus, sepius-  
que in LL. ab invicem separari & diversa iisdem jura tribui  
reperimus.

## §. II.

## §. II.

Circa Blasphemiam observandum, quod DD. dissentiant, quomodo & qua pena blasphemans Judæus sit afficiendus. Alii opinantur eum pena capitis puniendum esse *I.3. C. de Jud.* Alii pena pecuniaria cum banno. *vid. Anton. Tessaurus Decis 341. n. 6.* ubi recenseret, anno 1565. Judæum in 50. aureos a se condemnatum & perpetuo e patria bannatum fuisse, quod fidem nostram esse abusum & Salvatorem non crucifixum esse dixisset. *Carpz. in Pr. Cr. p. 1. q. 45. n. 51.* ordinaria blasphemiae pena eos affici debere consultit. Verum hoc potius relinquendum esse in arbitrio Judicis, habita qualitatis blasphemiae ratione, nec non temporis & loci, statuo *cum Alex Conf. 233. in 6to.* Si tamen in loco quodam per Constitutiones Principum specialis pena contra blasphemantes Judæos imposita sit, ab eadem recedendum non est. *Tessaur. Decis 241. n. 6.*

## §. III.

Ut autem occasio blasphemandi Judæis adimatur, J. Caconico provisum est, ne diebus Dominicæ passionis in publicum prodeant, *cap. in nonnullis X. de Jud.* & die Paræcœves ostia & fenestras clausas habeant, ne Christianos in contumeliam Christi derideant. *c. 4. N. ad Jud.*

## §. IV.

Circa læsionem Majestatis Humanæ queritur, num Judæus sit admittendus ad accusandum Christianum de criminis læsa Majestatis? Ita videtur, quod in isto crimen omnes ad accusandum admittantur, qui alias accusare prohibentur. Ita, licet infames & mulieres regulariter ab accusando repellantur, in hoc tamen crimen ad accusandum admittuntur per *I. 7. & 8. ff. ad L. Jul. Maj.* quod etiam in damnato de crimen publico procedere testatur. *Hier. Gegas de crim. laſ Maj. I. 2. q. 4.* Verum rectius negatur, Judæum admitti posse, siquidem prædicta jura locum habent,

nisi capitalis inimicitia interveniat cum eo, quem accusat, nam tum quoque in crim. læsæ Majest. ab accusando repellit posse, arbitrantur DD. per text. cap. 32. X. de Simonia, ubi inimicitiae capitales removentur a testimonio in crimine Simoniae, quod cum læsæ Majestatis criminе, quod accusationem attinet, æquale judicatur. cap. licet beli. 31. X. de Simonia: ratio prohibitionis est in c. Accusationibus 3. q. 5. Ne iratus inimicus nocere cupiat, & læsus se ulcisci velit. vid. Gigas de crim. læs. Majest. l. 2. q. 6. p. 204. Jam vero Judæus Christianorum infensissimus est hostis, glossa in cap. 2. X. de jud. Schrader. in leg. admonendi n. 77. ff. de jurejur. Ergo tanquam talis ad accusandum in tali crimine admittendus non est, secus est, quoad testimonium dicendum, ad quod Judæum in hoc crimine admitti supra diximus, quia non per accusatores, sed testes crimina comprobantur, cap. 31. X. de Simonia.

### §. V.

Sed quid, num Judæus crimen illud saltem poterit denunciare? Hujus dubii decisio dependet ab illa quaestione: Utrum prohibitus accusare, possit denunciare? Ita vult Baldus & Glossa in l. 1. C. 6. Tutor non gesserit, ubi in locum deficientis accusationis implorare licet officium Judicis, ad quod facit glossa ad l. 16. ff. de in jus voc. vid Gigas de Crim. læs. Maj. l. 2. quaest. 6. n. 7.

### §. VI.

Circa Adulterium de Judæis observandum, illos adulteris, cum potestatem-judicij non habeant, pœnitentiam imponere, ut tempore hyemis in frigida aqua per aliquot dies, æstate vero in formicarum acervo nudi sedere teneantur, si vero hæc pœna pro adulterii ratione minor judicetur, æstate eos nudos per apium turbas transfire, & acuis illarum tamdiu corpus objicere oportet, donec totum itumuerit, quæ pœnitentia pro delicti gravitate sæpius iteratur. vide Buxtorff. in Synag. Jud. cap. 47.

### §. VII.

§. VII. Cœterum cum Lex Julia de adulteriis temeratores alienum nuptiarum gladio puniat, dubium non est, quin & Judæi pena gladii sint afficiendi, in primis si Judæus cum Christiana, vel Christianus cum Judæa adulterium committat, quia & tunc ab eos Christiana religio violatur. Menoch de arbitr. Jud. lib. 2. cas. 290. n. 7. & cum ita dupliciter peccent, majori pena tales puniendos censuit Senatus Belgicus, vid. Paul Christianus vol. 2. Decif. 43. n. n.

§. VIII. Quando vero Judæus solitus cum Christiana soluta & vice versa extra matrimonium rem habent, videatur quidem ob se stœ diversitatem, atque ita ob religionis violationem dicendum, illos mortis pena esse puniendos, juxta illud Num. 25. ubi Pinehas, Eleazaris filius Judæum cum Midianita coeuntem gladio transfixit, quod ei ad justitiam est reputatum; ita Parisis judicatum fuit contra quendam, nomine Joh. Mardum, qui combustus est, quod ex Judæa plures genuisset liberos, Boërius Decif. Si 6. n. 5. ubi testatur, se vidisse Avignionij Judæo virilia esse excisa, quod Christianam impregnasset. Verum si alias actus facinus non aggravat, non mortem, sed extraordinariam penam arbitrio judicis esse infligendam, dum in casu hoc nulla a jure statuta est pena consuluit, Alex. Conf. 13. n. 15. fol. 7. eumque ut plurimum hac in re sequuntur JCTi, & personas, num sint honestioris conditionis, distinguere, aliasque circumstantias attendere solent. Ita Judæus agnoscens meretricem Christianam pecuniaria tantum penam arbitrio judicis plecti solet, Surdus Conf. 497. n. 7. Menoch. de arbitr. jud. l. 2. cas. 290. n. 15. Supra adductum Pinehae factum, quod rerum status tum efflagitabat, in exemplum a nobis trahendum non est. Ita etiam Samuel Regem Agag in frustra concidit, quod tamen nulli hodie permetteretur. Rolandus a Valle. Vol. 2. Conf. 35.

§. IX. De Homicidio tenendum, minime licitum esse, occidere Judæum, quare receptum est, ut occidens æque teneatur ordinaria Legis Corn: pena, ac si Christianum interficeret.

terficeret. Imo non desunt, qui gravius delinquere dicant Occisorem Judæi, quam interfectorum Christiani, eo quod hic corpus solum, ille vero & corpus & animam perimat.  
*Speidelius sub verbo Juden.*

§. X. Quæritur hic, num in Crimen Assassini cedat is, qui præmio conuento mandat interfici Judæum? Ita putant multi, quando occiditur Judæus, qui in territorio Christianorum toleratur. Verum juxta communem DD. opinionem restius negatur, quod Assassinium proprie in Christianum committi dicitur. *Rol. a Valle. Vol. 4. Conf. 14. Tuscb. Pract. Concl. lit. A. Concl. 531. Alexander vol. 7. Conf. 166.* ubi refert, quod plures fuerint liberati propter qualitatem non probatam, Christianum fuisse interficium. Atque hanc communem opinionem adeo receptam testatur, *Vivius in Thes. commun. opin. in verb. Assasin.* ut pauci admodum refrangentur. Facit hoc textus ex cap. i. X. in 6to. In dubio tamen super ista qualitate, an occisus Christianus, nec ne, præsumi Christianum fuisse, cui contradicit *Masecardus de Probat.* vol. i. Concl. 138. n. 14. quoad eos, qui circumcisi reperiuntur, ut sunt Hebrewi aliqui infideles, quia ex his satis præsumitur, illos non fuisse Christianos.

§. XI. De moderamine inculpatæ Tutelæ adhuc quæri solet, num Judæus, si Christianum interficerit, illudque servaverit, eo se defendere possit? Resp. quod sic. Quia jura id, quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure factum pronunciant, *l. 3. ff. de F. & F.* & vim vi repellere omnes leges, omniaque jura permittunt. *l. 15. §. 4. ff. ad L. Aquil.*

§. XII. Circa Crimen falsi notandum, Judæum, si dolofe profiteatur Christianum, ita, ut damno quendam afficiat, in illud incidere, & pro admitti qualitate propterea gravissime puniri debere. *arg. l. 27. §. 2. ff. ad L. Corn. de falsis.*

§. XIII. Atque haec ductu Justiniani leyi brachio strictum tetigisse sufficient. Quod si quid minus congruum fuerit positum, æquos sperabimus Censores & tum horum æquitatem, quam omnes meliora docturos venerabimur. Interim,





64475

AB 64475



TAF 06

R  
VO 17





34

DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
DE  
**J V R I B V S J V-  
DÆORVM,**

**S**om **G**üden **R**eht

QVAM  
P R A E S I D E  
**CASPARE ZIEGLERO,**  
ICTO ET ANTECESSORE IN HAC LEVCOREA  
CELEERRIMO, POTENTISSIMI ELECTORIS SAXONIAE CON-  
SILIARIO SPLENDIDISSIMO, ET FACVLTATIS JVRIDICAE  
ORDINARIO ET SENIORE, ETC.

**P R O L I C E N T I A**  
DOCTORALIA PRIVILEGIA RITE CAPESSENDI  
PVBLICAE AC SOLENNI DISQVISITIONI EXPONIT

**CHRISTIAN CASPAR** **Maschow**,  
ASCANIVS SAXO

*AD DIE IV. APRIL. MDCLXXXIV.*  
IN AUDITORIO MAIORI  
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

*VITEMBERGAE,  
RECVSA LITTERIS HAKIANIS.  
A N N O 1742.*

(10)